



Lbc. 9.

*de/*  
H. STURMII, *an 4*

De æterna & immutabili  
Prædestinatione Dei; Electi-  
one atque Reprobatione Dia-  
tribe.

*Quæ, in theses xxxij tributa, uniuersam  
huius mysterij doctrinam monstrat.*

A D

Illustrissimum Principem, D.  
Truchzesium, Electorem Colo-  
niensem: Epistolâ.

*Cursim, à calumnijs falsæ excommunicationis,  
sontra Gregorium XIII. R. P. pur-  
gatum exemptum.*

*Malachiæ 1. vers. 2. 3.*

*Nonne frater Hhesavus Iahhakobus? dictum  
Iehouæ; Dilexi autem Iahhakobum  
Hhesauum verò odio habui.*

*Editio secunda.*

S E R V E S T A E.

Excudebat Bonaventura Faber  
Sumptibus Iacobi Zanachii.

---

Anno M. D. XCVII.

## Scholis N. S.

**S**I aliud nullum, Ecclesie, adiumentum, hac conscrip-  
tione affero: hæc tamen assequor: Auditores.  
Principio huic doctrinæ laboranti atque labenti, opem  
nonnullam fero. Delinquit enim hic grauisissimus Theo-  
logiæ apex, ubique & Ecclesiarum et Scholarum. Pro-  
sumus autem & nos, in hac custodia, tanquam in qua-  
dam specula collocati. Dein vobis: quorum vel maxi-  
mâ rationē hic mihi ducendam putavi: summa huius  
doctrinæ necessariæ capita, eâ methodo diuulgo: vt uni-  
uersam, sua quadam acrimoniâ adpersam, (quâ multi  
lubricam, atque non acriter intelligentibus præcipitē  
esse dictitant) vel manu leui capere possitis. Tum Theo-  
logiæ non doctissimos, ab armis instruo, quibus, ve-  
ritatem huius doctrinæ propugnent, vsu differendi nō  
nullo atque via thesauri tractandarum monstrata. Pos-  
teremō iadigito, quanto ad scholas Theologicas, huius  
doctrinæ sanitas, à Doctoribus requiratur. Verissimū:  
Si impuræ Scholæ, turpiores Ecclesie, quarum semi-  
narium illæ. Nam si hic vobis error obiiciatur, in fun-  
damento vniuersa illa, de Misericordia atque Redemptione  
humana, religio, mox ruinas agit. Error non leuis Au-  
ditores: quo ne capiamini, clarissimum vobis lumen,  
hæc de Prædestinatione, doctrina, præfert. Sin verò nō  
omnibus, vbilibet, satisfecero: (sunt enim oculi nequæ,  
sine publicis suffragiis criticis) siue in committendo, sol-  
lertiam, siue in explicando perspicuitatem, siue in con-  
firmâdo robur, siue denique in refutando sagacitatem  
meam requirant: hos equidem à meis angustiis, ad vâ-  
grâdem huius mysterii maiestatem, atque ad tempora  
nostra reuoco: à quibus simulac animū fractū collegero,  
omnia, cum cura limatius exactâ atque elaborabo.  
Nobis enim in hac festinatione, solâ falsi culpâ præ-  
standam duximus, stylo vñ vulgatissimo. Quidquid  
tamen damus, etsi sub manu natum, totum illud, iudi-  
cii Ecclesiastici facimus. Bene vobis

ILLVSTRISSIMO  
PRINCIPI, D. GEBHARDO  
Truchzesio; Angriuariorum Du  
ci; sacri Romani Imperii Septem  
viro; Administratori Electoratus  
Coloniensis amplissimo; D. suo  
Clementissimo, G. & P.

**I**N Magistratum, ca-  
dere curam Ecclesiarū ἀρχιεπισκοπι-  
κῆς, quas ex verbo Dei, admi-  
nistrandas curent: Tuam Celsitu-  
dinem docent, tum legis diuinæ, tum ex-  
empla omnium Principum, post hominum me-  
moriā, celeberrimorum. Hic non puto mihi  
faciendum; ut, pluribus, ex nostra Theologia,  
de officio Magistratus, ad te disputem: cuius  
ratio uniuersa tibi probè constiterit. Missos etiam  
facio antiquos Reip. Israëliticæ Duces; Mo-  
sen, Iehosua, Dauidem, Iehosaphatum, reliquos de-  
nique reges: quorum in constituendis Ecclesiis,  
grauissima pietatis cura enituit. Neq; dicam  
de Constantino Magno, Fouiniano, Valenti-  
niano, Theodosio, Carolis, Ludouicis, Conra-  
diso

A ij

diso

4  
dis, Ottonibus, Henricis a'que Fridericis; Imperatoribus Christianæ Reip. illustrissimis: quorum opibus; tot ecclesiæ, Collegia, Academia, adhuc stant atque florent. Quos, officij diuinitus commissi religio, ad tantam pietatis sollicitudinem exstimulauit, ut omnes curas cogitationesq; in Ecclesiæ salute defigrent; memores, Christo Domino, graues olim de Ecclesiarum tutela, rationes reddendas esse. Breui duntaxat, T. Celsitudinis animum, ad superioris æui nostri memoriam reuocabo, à qua intelligas, temet ex officio facere, quidquid geris, Princeps: (gestisti autem res Reformationis præclaras, diuinas, atq; ad laudem, imitationem, immortalitatem expositas: ) ne, te, ullis periculorum terroribus, ab hoc officij tui curriculo abdaci, inflectiue patiaris. Tu enim in Magistratibus legitimis, quos Deus creat, extollit atq; defendit. Episcopatus uerò alia res, quem Spiritus S. aliud officij genus maximè diuersum, Pastoribus atque Præbyteris Ecclesiarum, concreditum esse uoluit: quæ duo, immane, quantopere disparibus formarum, materiũ, finium, atq; modorum studijs discrepent. Memorabilis ac pæne cælestis illuxit Coloniensibus, Annus XLIII: quo, Deus, infelicem illius ditionis sortem misera-

ius, idolemaniã perditã; Principẽ pietatis luce  
præstantissimum excitauit, Hermannum, illu-  
stri Widdorum Comitum familia, natum: qui  
in memoriam sui officij reuersus, de seria suã  
Prouinciã reformatione cogitabat. Et ne quid  
reliquum faceret ad summam officij fidem; secu-  
tus, partim comitiõrum Ratisponensium decre-  
ta, partim verò suorum ordinum consilia, do-  
ctissimos Theologos, Bucerum, Argentorato, at-  
que Melancthonem, Wittenberga, Bonnam,  
ad exarandam Ecclesiarum disciplinam euocat.  
Opræclarum pietatis exemplum, cum omni po-  
steritate adæquandum? Sic Fouinianus Impe-  
rator, postquam, Julianus, Ecclesias Christi, ne-  
faria persecutionis crudelitate vastatas, propè  
deleuisset, Albanasum exülem miserè latitantem  
anquiri, à quo, formam fidei prolapsæ atque  
Ecclesiarum afflidtarum hypotyposin exciperet.  
Hinc subita Euangelij lux, totam illam diocæ-  
sim correptam sic inflamat, ut etiam vicinam  
Eifliam, patriam meam illustraret: cuius vesti-  
gia fugitiua, adhuc illic sub Manderfchedijs vi-  
suntur, memoria Buceri firmata. Sed qualis op-  
timò Principi, gratia refertur? Principio, re-  
bus inclinantibus, pleriq; ab officio discedunt,  
atque se à fide sui domini sceleratè auerunt:

A ij

qui

6  
qui tamen omnes suas res atque fortunas, Bo-  
no illi Principi debebant. Dein antididagma,  
maladictorum petulantia contumax, Reforma-  
tioni opponunt. Postremo, Principem suum, ad  
Imperatorem ac Pontificem accusant, atque ad  
Bannum utriusque furiosè conclamant. Impera-  
tor mox proscriptionis pœnam denunciat, nã  
actutum instituto super sederit. Neq; hisce mi-  
nis contentus, insuper mirificum inscitiae conui-  
tium, Principi pio facit. Vox criminantis hæc:  
Ab reformatorem ineptum! Bonus vir, lin-  
guam latinam, vix primoribus labris degusta-  
vit; ter ad summum missificatus, egrè missa-  
rum illarum, quarum, ipsusmet, binis audui,  
primordia tenebat. Ab humanum Imperatoris  
boni, de rebus spiritualibus iudicium! Quasi ve-  
rò, Religio, ab vlla arte, vel Scholastica, vel  
Missatica (si quod opificium missandi) depende-  
ret? Donum Dei est fides Electorum. Quod  
hic disertim, Dominus noster, Jesus Christus  
affirmat: Gratias tibi ago, Pater, Domine cœli  
ac terræ, quod hæc sapientibus mundi abdita,  
humilibus aperueris? Ne ita tu illa voluntas li-  
berrima tulit? Hæc salutis mysteria, Episcopo  
gratis reuelata, nisi Deus, iusto suo iudicio, à  
Carolo abstrusisset; neque pium Principis cona-  
tura



7  
tum risisset; neq; tantas in Germania persecu-  
tiones, facibus Antichristi excitasset: quibus  
& segetem suæ gloriæ amplissimam, turpiter in-  
cidit; & opes omnium suorum regnorum floren-  
tissimas acerbe infregit, & valetudinem deni-  
que omnem reliquæ vitæ violatam miserandè  
debilitavit. Secutus Pontifex ad excommunica-  
tionem descendit. Non lætiora tibi expectan-  
da, Princeps? Fremat illa potestas tenebrarum  
Romana, quæ, furore effrenato inflammata, om-  
nium piorum sanguinem sinit. Fremat licet, vel  
ad rabie: fortior tamen, qui nos propugnat, Do-  
minus ille, Jesus Christus, Rex suæ Ecclesiæ  
fortissimus, cui oppugnando, quis, tantis cer-  
uicibus esset? Neque frustra omen hoc inter-  
posuerim? Ecce enim tibi excommunicationis  
tuæ tabulas, tardius tamen ad nos allatas, cum  
hanc ad te consolationem paro. Vidi atque risi,  
execratus os illud sacrilegum Romani Antichri-  
sti: quod, mero hoc Evangelij dilucens meri-  
die, perpetuo quodam vertiginis spiritu obstu-  
pefactus, Imperium in gentes atque regna, sibi  
adhuc assumere & arrogare audeat? Vah homi-  
nem sceleratum, ipsummet perditionis filiū, egre-  
gium Petri successorem! Te misellum Apostolū!  
qui illud imperium, in regna mundi, aut ignora-

A iiij      bas,

**S**  
bas, aut capescere volebas: sicce ab omni domi-  
nandi libidine auersus, ut etiam legem rogares,  
quâ dominij istis, Clero interdiceres. Hui! Gre-  
gori! *Abeamus ad iudices. Nescis? Occamum,*  
*Scholasticum Anglum, Franciscanæ familiæ*  
*Monachum, olim in caussa eadem, litem contra*  
*te, pro Ludouico V. Imperatore dedisse: qui, vel*  
*ab vno Chrystostomo, aperte negat, Ecclesiæ feu-*  
*dum esse Imperium; iubetq; te ab alienis Mundi*  
*regnis, Magistratui politico à Deo attributis,*  
*mentem, oculos atq; manus abstinere. Cuius au-*  
*toritatem si migraueris, in temetipsum irruis?*  
*Fiatq; te plorare volo, Gregori! fædisimis falsi*  
*repetundarum, atque perduellionis criminibus*  
*grauiter conuictum. Mibi crede Gregori! Abijit*  
*illud credulum æuum. Nunc exsudares, nugasq;*  
*ageres, si vel pueris septuennalibus, hæc menda-*  
*cia persuaderes. Vultis dicam Cardinales? Totū*  
*illud excommunicationis vestræ decretum, ab*  
*inferis reuocatum, eras Antichristi notas olet,*  
*spirat, clamat: quod, miror, esse, qui rectis ocu-*  
*lis aspicere dignentur: tanta in cælum blasphem-*  
*ia, in terram contumacia, in Religionem Chri-*  
*stianam erroribus, in Magistratum, perduellio-*  
*ne, denique in Matrimonium sacro sanctum fasti-*  
*dio debacchatur. Nec mirum! Fuit enim nomen*  
*Gre-*

Gregorium, uniuerso orbi Christiano seuum  
atque fatale. Quod vel à duobus, Septimo atque  
Nono liquet, natis & extinctis exitio generis  
humani: quorum hic dæmonium hominis, ille  
verò monstrum Sacerdotis fuit. Veruntamen  
nihil te hic aut angi, aut animo cadere volo.  
Princeps. Apage tu istos excommunicatores in-  
fractos, ἀλάστορας Ecclesiæ, faces Imp. Roma-  
ni, atque flagella Dei, qui hactenus, immanita-  
tem Satanae in figura humana gesserunt. Alia  
res excommunicationis, quæ neque à quouis,  
neque in quemuis, neq; quouis de causa exer-  
ceri vult: cuius tyrannide, tantas sibi Roma-  
nus opes conflauit, formidabiles Regibus mun-  
di. Cum enim Pontifices Romani, politicam Ma-  
gistratus auctoritatem, varijs fraudibus, scele-  
ratè profligarent; tum in primis, tyrannicis ana-  
thematum edictis ipsam labefactarunt: quibus  
& Imperatores ab Italia auerterent, in cuius  
possessionem oculos impudentissimos, spe atque  
mentie iam pridem defixerant; & subditos Impè-  
rij, vel ad persecutiones, vel ad defectiones  
seditiosas inflammarent: ut quos ab obedientia  
Imperij, fides dimouere non posset, hos terror  
falsæ Religionis iniectus deijceret atq; distur-  
baret. Tanta in animis hominum à luce fidei; va-

cujs

cuis, vis superstitionis infidet. Hinc illi Banni horror terribilis, ad cuius famam, totus mundus obstupuit, concidit atque defecit. Vide sis mihi, Princeps, historias omnium Imperatorum Germanorum: (te enim, cum cura, in omni genere litterarum, eleganter versatum esse memini, tanta omnium cum laude, ut illud Caroli Imp. conuiuium in te iaci non possit:) exorsus ab Ottonibus ad Carolum IV. atque scies, fortissimos quosq;, optimè de Rep. Christiana promeritos Imperatores, calumnijs excommunicationis nequissimis, aut de gradu suo deiectos, aut saltem atrociter diuexatos, in contemptum omnium populorum adductos: ut quos, virtutis ac pietatis gloria ad Cælum extulerat, eosdem mox Paparum rabies indignissimè oppressos ad supplicium deprimeret. Pro scelera & Hinc perpetuæ bellorum ciuilium crudelissimorum contentiones in Romano Imperio exarserunt, nefanda odiorum atq; cædium crudelitate imbutæ, ab his turbis turbulentissimis excitatæ; à quibus, hic miserandus Imp. Romani occasus cluit. Sed his commemorandis supersedeo, ne, vel T. Celsitudine, legendi, vel mihi alibi occupato, scribendi fastidium creem. Nunquã tamè defuerunt viri, à doctrinæ atque pietati instructi,  
 diui.

diuinitus excitati, qui tyrannidem Antichristi  
 Romani splendide traductam toti mundo deuoa-  
 uendam, ad sempiternam posteritatis memoriam  
 propinarent. Hadrianus IV. Papa, cum grauissi-  
 mum Imp. Fridericum Barbarossam Sueuum, re-  
 rum gestarum magnitudine atq; animi excelsi ro-  
 bore immortalem, iniusto anathemate percussis-  
 set: Abbas Urspergensis Historicus illius aui  
 facile princeps affirmat, illam excommunicatio-  
 nem Papae irritam atq; infectam à Deo pronun-  
 ciatam olim, vel ab hoc vno Davidis dicto. Ma-  
 ledicent illi. at tu benedices! A quo, & T. C. leua-  
 tionem doloris, contra Gregorij iniurias pete-  
 re volo, Princeps. Quid quod Scholastici, cæ-  
 tera propugnatores hierarchie Romane iura-  
 ti negent; anathema ab excommunicatis displo-  
 di posse. Cum Fridericum II. Imp. Sueuum Bar-  
 barossæ nepotem, rerum gestarum gloria, claris-  
 simum aui sui lumen: (ab his autem Magnanimis  
 Augustis Sueuis, tu, genus atque antiquam no-  
 bilitatem ducis, quod à splendore vestrorum,  
 Insignium claret.) Gregorius nonus anathemati  
 mandaret, purgabant Thomistæ hoc argumento,  
 fulmen illud infirmanes: Sacerdotes mortali  
 peccato obstrictos, neque ligandi, neque soluendi  
 potestatem habere, Optime! Tali verò, Romanos  
 Sacer-

Sacerdotes omnes obligatos esse, vel ab una sy-  
 moniæ labe conficiebant: qua, ad unum omnes,  
 nequissimè constupratos clamabant. Melius?  
 Sed hem Scholastici? Quid de una symonia ob-  
 ijcitis? Labatis memoriâ, fratres, labatis, præ-  
 uaricati causse publicæ, plaustri scelerum mor-  
 talium omiſis, quibus vel millies excommuni-  
 cati, quotquot Gregorium Magnum, ad has vsq;  
 Kal. Octobris insecuti, infamia omnium scele-  
 rum cooperti. Credo, extimescitis anathema,  
 quod Culinas vestras imminutum iret? Pula-  
 cre, Augustinus: Liga fratrem, sed vide, ut re-  
 stè liges. Immo, Romanus, non maiorem in te li-  
 gando, potestatem habet, quam in Romano, Ple-  
 banus Dollendorpensis. Velut nolit contentus sit  
 oportet tua Romana Ecclesia, cui utinam legi-  
 timè administrandæ esset! Fiaq; irarum desine,  
 Sacerdos! Romanum tuum anathema Germani  
 curant, Scilicet! Justæ excommunicationi suum  
 honorem vel maximum tribuo, quam Tertul-  
 lianus, manifestissimum futuri iudicij præiu-  
 dicium vocat; extremo suo apologetico, quo uni-  
 uersam totius Curie Ecclesiasticæ factionem, ad  
 summam, describit: quem T. C. ad legendum in-  
 reformando, commendo. Hinc enim duo disces,  
 cept: Vnum, quot ac quibus partibus, Mi-  
 niste-

nisterium Ecclesiasticum constituerit: alterum,   
 quanto opere, ab illa simplicitate primitiue Eccle-   
 siæ antiqua, pura pura, hæc operosa atque cere-   
 moniosa Romanæ Synagoge adulteratæ hæresis   
 prolapsa deflexerit. Neq; uola, neq; uestigium   
 ullum. Denique omnes suas vires, in te obruen-   
 do, explicabit Satanas. Sed hic vellem. Colonien-   
 ses, in memoriam redire anni CCCC. LXXIV;   
 quo, Carolus Burgundus, Bellator, Nouesium ob-   
 sidione fatigabat: etsi memoria Piccardarum   
 illic nondum exsoleuerit atque refrixerit. Sup-   
 par utriusque belli propemodum caussa: quod   
 Curia summi Templi, Imperium, suo legitimo   
 Episcopo, Roberto Bauaro abrogasset, suffecto   
 Hasso Hermanno. Illum, Carolus, ut in pristi-   
 num suum gradum, restitueret, inuitatus, huc   
 omnes suas rationes bellicas conferebat, ut ip-   
 sam prouinciam Coloniensem sub suam diuionem   
 subijceret atque subiungeret. Idem nunc Hispa-   
 nos moliri, abnepotes illius Caroli mirum, ni Colo-   
 nienses sentiant: qui iam iam in ceruicibus ipso-   
 rum restitissent, nisi, C Palatinus fortissimus ille   
 Rora. Imp. Achilles, atque acerrimus Ecclesiæ   
 Christi Gedeon, subito præsidio, tyrannidem Ba-   
 uari, mucronibus Hispanicis in viscera urbis ar-   
 matam, à iugulis, fortunis, libertate atque re-   
 ligione

ligione Ciuium reiecisset, auertisset atque repu-  
 lisset. Sed Colonienses minus tunc obæsi, cum  
 his Caroli machinationes præsentiscerent, si-  
 bique à potentia ipsius metuerent, opem Æmpe-  
 rij exposcunt atque implorant. Stetit autem  
 illud bellum, quod erat annuum, Coloniensibus  
 maximo. Subsidebat, id temporis, Æmperator  
 Fridericus III. in Sueuia, quem Augusta, trecentis  
 florenorum millibus, Nouesium arcessunt.  
 Tum, singulis insuper mensibus, in idem bellum,  
 centena aureorum millia conferunt. Postremò  
 exercitum ingentem, qui xv. hominũ M. consta-  
 bat, cum reliquis ad Rhenum ciuitatibus, Carolo  
 aduersum alunt. Prò mores prolapsos! Tunc  
 imperium Burgundi exultantis, à ceruicibus  
 fortiter propulsabant, nunc verò dominum im-  
 potentissimorum Tyrannorum sempiternum, in  
 capitibus suis impositum pleriq; uellent: qui ut  
 ut nunc cornua tibi obuertent, tamen ab histo-  
 rijs constat, Philippum Æmperatorem, Sueuum,  
 Barbarossæ filium, fame, urbem ipsorum amplis-  
 simam, ad deditionem redegisse. Eant nunc ue-  
 stri illi Reges retro in regionem suã, pro illo Mat-  
 thei. Hui! Reges vos! Apagete! Frustrà trahi-  
 tis: anquisito, inuento, atque ostenso Salvatore  
 nostro, Domino Jesu Christo, qui nunc iterũ in  
 cunis



15

cunis, Agrippinibus vagire atq; repuerasce-  
re cepit: ne si moram injicere perrexeritis, ef-  
fugium vobis pereat. Nunc operam date, Cives,  
n: quis sibi defuisse serius queratur: en gratiæ  
tempus; quod mox iudicij dies excipiet: Sed his  
missis, ad me descendo. Quod, in T. C. nomine,  
hanc meam scriptiunculam apparere volo, fa-  
cit pietas tum erga T. Celsitudinem, tum erga  
patriam, mea. Sum enim diœcesi tuus, etsi domi-  
nio Fuliacensis territorio Eifius. Tanta verò  
nostra erga patriam, quæ nos in hanc lucem ex-  
tulit, pietas constare debet, ut eam, quam beatam  
esse velimus. Saluam maxime volumus, si salu-  
tarem Evangelij scientiam, quam à Deo consecu-  
ti, impartiamus atque cum ea communicemus,  
Dein diœceseos nomen Ecclesiasticum, quod pro-  
vinciam Ecclesiæ circumscriptam in gregem Do-  
mini excubantem notat: In Ecclesia ego, sacra-  
rum literarum studijs deditus: ad quam refor-  
mandam, vel primas hæc de Prædestinationis  
doctrina, tenere debet. Est enim Theologiæ apex,  
qui veras ac proprias salutis causas monstrat fal-  
sas diluit: quibus deprehensis, totus ille, se-  
mipelagianismus Pontificiorum, labefactatus  
concidit: de his enim inter nos, capitalibus dis-  
sidijs adhuc vertitur. Augustinus cum nondum  
in hanc

in hanc doctrinam penitus peruasisset, pluscu-  
 lum viribus liberi arbitrij atque operibus tri-  
 buebat: simul ac verò aures in hac iritas circum-  
 ferret, mox & pristinos suos errores eiurat, &  
 plena manu Pelagianismum, errorem turpissi-  
 mum, infirmat atque condidit. Denique, præ-  
 iudicio huius solius Lutherus, & in tantum sapien-  
 tiæ diuinæ gradum conscendit; & illam sempi-  
 ternam errorum variorum noctem, Ecclesiæ  
 offusam, in qua, omnia miserè iacebant, patefe-  
 cit, disiecit, illustravit; & clarum toti mundo  
 lumen prætulit. Bene T. Celsitudinem: quam  
 gratiæ Dei commendatam vehementer etiam  
 atque etiam roga, vi hanc meam consolationem  
 gratulatoriam, crassa Minerua exaratam, boni  
 consulat. Lugduni Batavorum, ex Academia  
 nostra. Kal. Octob. Anno M. D. XXCIII.

Hubertus Sturmius Eiflius  
 Professor Theologiæ,  
 Addictissimus.

17

# THESIS I.

**T**anta est necessitas doctrinae de Prædestinatione, ut illa non solum in scholis, inter doctos personare: verum etiam in Ecclesiis, ad populum tractari debeat: modò hoc & prudenter & sobriè, ad ædificationem fiat: ne in hæresin Prædestinatorum incurramus.

I. Explico: Principio de Entitate Prædestinationis disputo, cuius membra quatuor: vnum de necessitate huius doctrinae: alterum de loco: tertium, de modo: postremum, de periculo erroris.

II. Confirmo membra: I. Esse necessariam hanc de Prædestinatione doctrinam, ab his tribus rationibus, probò.

Prima, à finibus ducitur, propter quos, Deus illam reuelatam voluit. Fines tres: Vnus; Certa et firma cordis nostra persuasio, de nostra salute cõtra desperationem & diffidentiam à tentationibus spiritualibus excitatam. R. Nam monstrat & causas salutis firmas extra nos in Deo æterno ac immutabili sitas, æternam & gratuitam electionem Dei: atque huius electionis immutabilis effecta certissima, efficaciam ad Christum vocacionem, fidem, sanctificationem: iuxta hæc dicta. Malach. 1. v. 2. 3. Iacobum dilexi. Matt. 24. 34. Impossibile seduci electos. Matth. 25. 34. Venit

B

bens

DE PRAEDESTINATIONE

38  
 benedicti Patris mei. Luc 10. 20. Gaudere nomina vestra scripta esse in Coelis, Iohan. 5. 37. Omne, quod dat mihi Pater, ad me venit Iohan. 10. 28. Oves meae vocem meam audiunt. Roman. 8. 28. cuius Paragraphi scopus; non posse electos à caritate Dei separari: 2. Timoth. 2. 19. Firmum stat fundamentum Dei. Quae dicta docent fidem non posse corda nostra componere à tentationibus, nisi in Christum caput respiciens, subuehat nos ueluti ad arcem diuini decreti de nostra salute. Immo mancam esse omnem de fide nostra, opinionem, nisi praedestinationis tanquam altissimis radicibus defixa fuerit.

Alter, Humiliatio nostri, e contra superbiam spirituales, ne vel viribus arbitrij nostri, vel operibus, in re salutis, quicquam tribuamus. R. Nam docet haec doctrina omnia bona nostra, à sola gratuita electionis gratia pendere; salutem, ac media ad salutem: à nobis verò, nil nisi corruptionem atq; damnationem proficisci: iuxta haec dicta: Matth 11, 28. Gratias tibi ago Matth. 13. 2. Vobis datum est nosse Roma. 9. 16. Itaq; non est currentis, neq; volentis, sed miserentis Dei. 1. Cor. 4. 7. Quis te discernit? quid habes, quod non acceperis? Phil. 1. 6. Persuasum: 3. 13. Deus est, qui efficit in vobis. Iaco. 1. 17. Omne munus.

Postremus: Gloria Dei. R. Nam docet, in vna Dei gratia, totam salutis nostrae rationem esse firmam: vt qui gloriatur, in Domino gloriatur: iuxta  
 hac

hæc dicta, Roma 1<sup>o</sup>. 36. Nam ex eo, & per eum, & in ipsum sunt omnia: ipsi sit gloria in sæculum. Hinc sæpissimè repetitur illud axioma Theologicum: Qui gloriatur, in Domino gloriatur. 1. Corint. 1. 31. 4. 7. 10. 11. 2. Corin. 10. 17. Ab hac prima ratione sic conficio: Hæc tria sunt omnibus ad salutem necessariis. Ergò & doctrina de Prædestinatione ad sciendum est omnibus necessaria. Ratio: Fines illos monstrat.

Secunda, à materia Prædestinationis. Est doctrina hæc fundamentum salutis & necessarium & certissimum. Ergò scitu necessaria. Clara ab his exemplis Paulus ad Romanos, ubi disputasset multis, de iustificatione hominis; tandem capite nōo exegeticōs, κατὰ τὴν ἀνάφασιν, ad ipsam Prædestinationem ascendit: quâ, primas iustificationis causas monstrat. Similiter ad Ephesios commendaturus nobis gratiam Dei multiplicè, κατὰ τὴν κατὰ φασιν, à causas salutis primis, beneplacito, gratia, electione, ad effecta varia electionis, iustificatione, regenerationem ac redemptionem descendit.

Tertia, ab usu huius doctrinæ. Nullâ doctrinâ, fortius hæresis Pelagianorum & Semipelagianorum refutatur: qui docebant; gratiam Dei dari, pro meritis & operibus constare salutem: de quibus Augustinus de hæresibus, ad Quodultimum cap 88. contra, hæc doctrina docet; totam salutem nostræ rationem esse gratuitam. Hinc Augustis

nus, cum in hanc doctrinam, nōdum diligentius inquisiisset, operibus nō nihil ad huc tribuebat: simulac verò in ipsam, diligentia inuestigationis penetrasset & priores errores multos deponit: de quibus cap. 23. libri primi Retractionum & huius solius doctrinae armis, hæresin Pelagianā iugulat; sicuti à tomo septimo, disertim liquet.

II. De loco, affirmo: ipsam, nō solum in scholis à doctis: verum etiam in Ecclesiis à Pastoribus tractandam esse. Cuius meae affirmatiōnis, rationes has quatuor, reddo.

Prima, à genere ad speciem: Prædicandum Evangelium & quidem rotum & omnibus & publicè: Marc. 16. 15 Rom. 1. 14 Sed doctrina de Prædestinatione est Pars Evangelij imò fundamentum Evangelij: quo, gratia Dei Patris, ac Domini nostri Iesu Christi asseritur, quæ Evangelij est substantia. Ergò etiam à Pastoribus publicè tractanda.

Secunda ab eodem loco: Doctrina diuinitus inspirata, & ad docendum, conuicendum, corrigendum atq; instituendum utilis, illa est vbilibet & omnibus proponenda, Deut. 29. 29. Arcana Deo, nobis autem hæc. Rom. 15. 4 Quæcunq; scripta sunt, 2. Timot. 3. 16. Sed doctrina de Prædestinatione est diuinitus inspirata, estq; utilis ad docendum & consolandum. Roma 9. 10. 11. Ephe. 1. 1. Iohan. 6. 8. 10. 12. Ergò omnibus proponenda.

Tertia

Tertia ab exemplis: Prophetæ, Christus, & Apostoli hanc ubiq; et ad omnes inculcant, nō solum electionē, sed ad reprobationem, ad consolationē infirmorum iuxta hæc dicta: Mal. 1. 1. 2. Vbi Prophetæ in ipso vestibulo suæ Prophetiæ, sibi bencvolentiam etiam ab hac doctrina conciliat. Esaias iubetur execcare populum, cap. 6. 9. Ioh. 8. 47. Iudæos ex Deo non esse, docet Christus & idcirco non audire verbū Dei. Ioh. 10. 26. Iudæos non esse ex ouibus, & idcirco nō credere, ait. Iohan. 12. 39. Iudæos non potuisse credere, quod excæcati à Deo essent, probat. Deniq, Paulus Romanis ad huc nouitijs in fide, hoc misterium proponit: Idem Ephesijs facit.

Quarta ab auctoritate Augustini: qui docet liquidò hanc doctrinam etiam populo proponendam esse: quatuor hisce libris. Primo, de Prædestinatione Sanctorum, cap. 14. Vbi simul monet, cur Patres de Prædestinatione rarius disputarint. Altero, de bono perseuerantiæ capi 14. vbi disputat contra eos, qui contendebant, doctrinam de Prædestinatione, in Ecclesia esse & inutilem & noxiam: c. 6. quo docet, doctrinam de Prædestinatione verè & liberè cum locus postulat, prædicandam: c. 17. vbi docet, spem afferre hanc doctrinā: Cap. 20. etiam ante pelagianam hæresin, hanc de Prædestinatione doctrinam, notam & certam fuisse de mōstrat. c. 21. vbi, sic prædicandam suadet; plebs vt edificetur, non vt fiat ad opera bona seg-

nis: c. 23. quo docet, Ecclesiam semper habuisse notam doctrinam de Prædestinatione, & certam. Tertio: libro sexto hypognoſticôn: quo diluit falſam Pelagianorum hypotheſin, quâ hanc doctrinam calumniabantur, quaſi inutilè & noxiâ Eccleſiæ. Deniq; c. 8. de Prædestinatione & gratia, docet, eſſe doctrinam hanc, antiquiſſimam in Eccleſia Dei. Deut. 8.

III. De modo prædicandæ huius doctrinæ. Modû tractandæ triplicem pono: ſobrietatem, prudentiam ac ædificationem. Sobrietatē in materia fi-go: vt ex ſolo Dei verbo, de hoc myſterio, loquamur. Nam ſicut illa, quæ Deus nobis ad ſalutem reuelauit, nolle in apertum proferre, eſſet ingrati-tudinis: ita velle ſcrutari, quæ nobis occulta vo-luit, aduerſæ eſſet curioſitatis. Prudentiam in ipſa forma atq; hypotypoſi docendi, loco. Aedificatio æſtimanda ab ipſis finibus; de quibus ſuprà: Hu-iuſmodi admonet nos Apoſtolus, illa ſua excla-matione. O profundas di.

III. De periculo: Periculum voco hæreſin Præde-ſtinatorum, qui ante Pelagium ſub Honore Im-peratore orti, de Prædeſtinatione peſſimè docebāt: de quibus has hypotheſes duas obſeruo: Vnam: neq; mala opera electis fugienda: Alteram: neq; reprobis, bonorum operum ſtudium prodeſſe: quarum illâ, omne bonorum operum ſtudium in Electis extinguebant: hac: verò audaciam, ad om-nia ſœclera inflammabant, Contra quos Auguſti-

AUG



nus pulcrum de Prædestinatione Sanctorum librum edidit: quo docet, quomodo hæc doctrina saluberrima & scitu necessaria predicari atq; populo explicari debeat.

III. Illustro à contrariis: Contra hanc necessitatem huius doctrinæ, hæc & similia disputantur.

I. Hac doctrinâ redduntur homines segnes & securitate imbuuntur. R. Cum audiunt, neq; electos perire posse, neq; reprobos seruari: lapsis, conatus resurgendi adimuntur, stantibus verò segnities inijcitur. Ergò non necessaria.

Responsio, per negationem consequentiæ: vel propter fallaciam non causæ ut causæ, vel illam accidentis. Ratio: Fit hoc, vicio hominum, non doctrinæ. Neque Subalterna pugnant: Non pugnant media cū fine; cum ad illa nō minus, quàm ad finem, Electi sint prædestinati. Nam doctrina de Prædestinatione docet: nos nihil sine gratia electionis posse. Iohan. 15. 1. Eadem monet, conatum pœnitendi & perseverandi dona Dei esse, effecta electionis, atque media ad glorificationem, quibus donentur electi soli. Roman. 8. 30. Hinc contra sequitur: idcirco studere Electos omnibus operibus bonis, quia sint non minus ad media, quàm ad finem prædestinati. Reprobos verò omnem conatum benè agēdi omittere, quia sint reiecti ab hac gratia mediolorum, nō minus quàm à fine ipso: iuxta hæc dicta: Ephes. 2. 10. Conditi ad opera bona, ut in ijs, 2. Pet. 1. 10. Studete, vo-

B 4

rationem

V. Rel. 976.

1.64  
Rel. 976

cationem & electionem vestram, firmam efficere. 2. Tim. 2. 21. Si quis seipsum. Hinc manifesta falsitas antecedentis, quod negandum.

II. Hac doctrinā tollitur magna pars ministerij: praeceptiones, exhortationes, correctiones, orationes. Si enim omnia, ex firmo Dei decreto proveniunt, quorsū monere, praecipere, corrigere & orare? Ergo non est necessaria, vt tradatur populo.

Responso per negationem similem. R. Subalterna non pugnant. Vt finis cum medijs, & media cum fine nō pugnant: ita doctrina de praeceptionibus, obiurgationibus & orationibus nō pugnat cum doctrina de Praedestinatione: cum Electi illis medijs ad Christum & ad vitam aeternam ducantur. Nam praeceptiones & exhortationes fiunt, vt intelligamus, quid facere debeamus. Additur doctrina de Praedestinatione, vt discamus, vnde sit noster ille conatus fidei & poenitentia. Sic Christus & Apostoli praedicabant, totam salutem pendere à gratuita electione Dei: nec tamen desistebat à monēdo & praecipēdo. Christus Ioh. 12. 37, ait, Iudaeos non posse credere, & tamen ipse nos hortatur, vt credamus, Ioh. 14. Sic Paulus ad Romanos docet, Salutem nostram esse gratuitā: qui tamen cap. 12. monet, vt conemur, atque ad omnem pietatem incumbamus.

III. Altior est haec doctrina, quam vt capi possit: iuxta illud Pauli. Quis cognouit mentem Domini? Roma. 11. 33. Ergo non est tradendo populo.

Responso,

Responsio, per negationē consequentiæ propter fallaciam à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. In hac doctrina, quædam sunt perspicua, quædam verò altiora, quàm vt ingenio humano comprehendi possint. Doctrina de Prædestinatione, perspicua est, si causas Efficientes, intermedias, finales atq; effecta spectaueris, si verò rationes iudiciorum diuinorum intelligas: nè pè cur Iacobo electo, Esauum oderit, doctrinam hanc imperscrutabilem affirmamus. Atq; hoc illud est, quod Paulus vult, illa sua exclamatione; O profundas diuitias & Rom. 11. 33. 34.

IV. Patres ante Augustinum, aut nihil, aut parca de Prædestinatione disputarunt. Ergò neq; nobis est necessario tractatio de Prædestinatione.

Responsio per negationē consequentiæ: propter fallaciam non causæ, vt causæ. Partius Patres disputarunt de Prædestinatione: non quod iudicarent, non esse disputandam aut tractandam: sed quod non fuit ijs data occasio disputandi de ea. Neque ramen Patres omnino de ea tacuisse, docet Augustinus exemplo Cypriani. Denique Patres non debent nobis esse regulæ agendorum, Agendi regula vnica, exemplum Christi & Apostolorum: qui hanc & ad populum retulerunt.

V. Impij hanc doctrinā irridēt, abusi vel ad licentiā, vel ad desperationē. Ergò non est promulganda.

Responsio per negationē consequentiæ: propter fallaciam Accidentis. Fit totum illud, vitio nō

doctrinae, sed ipsorum in piorum. Solutione illustrata ab exemplo. Multi irridunt doctrinam de Trinitate. Imò nihil non irridet à Deo: iuxta hoc Pauli dictum. His quidem odor mortis ad mortem: illis verò odor vitae ad vitam, 2, Cor. 2. 16.

THESIS II.

**E**st autem praedestinatio, decretum Dei aeternum & immutabile, de singulis hominibus: quo constituit in alijs ad vitam aeternam, ex mera gratia, in Christo electis; in alijs verò ad mortem aeternam, iusto iudicio reprobatis, glorificari: quod à solo Dei praedestinatiis beneplacito profectum; & sine ulla meritorum humanorum conditione factum, tantopere firmat numerum Praedestinatorum, ut neque minui, neque augeri, neque alterari possit.

Explico: Hic disputo de quidditate Praedestinationis. Sunt autem membra definitionis huius duo: definitum & definitio ipsa.

I Notatio definiti quod Latini praedestinationem, à Praedestinando; id Græci προορισμῶν, à πρὸ τῆς προοριζέω vocant. Significat autem vox Praedestinationis, duo: deliberationem regi, antequam illam agas. deinde, rei eiusdem, ab alijs segregatae ad certos usus, per certa media destinationem. Utraque significatione hic accipitur. Nam principio Deus, ab aeterno apud se constituit, in alijs eligendis,

dis, in alijs verò reprobandis glorificari. Deinde, utrosq; per debita media, ad suos fines proprios deducere: iuxta hac exempla, Roma 8. 29. Quos præsciuit, hos & prædestinavit, 1. Cor 2. 7. Sapientiam, quam prædestinavit Deus. Sic Cæsar & Suetonius, verbum destinandi vsurpant, Ita q; Prædestinatio, est decretum de ijs, quos ad finem elegeris, per debita media, ad finem illum deducendis: vel, destinatio voluntatis diuinæ ad certum finem, atq; ad media subordinata.

II. Huc obseruanda Comparatio trium harum vocum; præscientiæ, prouidentia & prædestinationis, quæ differunt prædicatione. Præscientia vox est generalior, in reliquis duobus attributis inclusa. Significat autem duo: vel scientiam Dei generalem de omnibus rebus: quas vel ipse, vel alij sunt facturi, positam in solo Dei intellectu: quæ nullam causæ Efficientis rationem habet. Ideò enim res eueniunt; non quatenus præscit eas Deus, sed quatenus decernit, 1. Reg. 19: Vel decretum Dei, in vtramque partem, positum in voluntate Dei. Roman 8. 29. 11. 2. 1. Petri. 1. 2. 20. Acto. 2. 23. Reliquæ duæ voces sunt specialiores: hoc tamen discrimine. Nam Prouidentia est decretum Dei, de omnibus rebus in genere, ad suos fines deducendis: Fundamentum Prædestinationis: iuxta illud: Tuâ prouidentia, ab initio cuncta gubernas: Prædestinatio verò est decretum de solis creaturis, rationalibus, ratione finis & aliam

instit.

intermediarum causarum: pars seu species providentiae, Act. 2. 22. Rursus sic bisariam capitur: vel generatim, vel speciatim, de solis electis. Deniq; Praedestinatio pro Providentia, κατανυξις κωσ, ponitur.

III. Hinc nascuntur quaestiones duae. Prior: In quo sit haec Praedestinatio: an in Deo; an vero in creaturis: quam prudenter Scholasticus Thomas movet, p. p. q. 23. a. 1. & 2. Quam nos sic affirmamus. Praedestinatio non in hominibus, sed in Deo praedestinante insidet executio vero, seu Effecta Praedestinationis in nobis insunt: qualia in Electis; vocatio, iustificatio, glorificatio: de quibus Paulus ad Romanos 8. 30.

Confirmatio: affirmatae quaestiones has rationes reddit Aquinas: Vnam; In Deo est ratio ordinis omnium in fine, quae est praesistentia in ipso. Alteram: Omnia divinae providentiae subiacent, ad quam pertinet, res ad fines suos ordinare. Est autem Praedestinatio, pars providentiae. Tertiam: Praedestinatio, est praescientia beneficiorum Dei: secundum Augustinum. Sed praescientia non est in praescitis. Quartam: Est actio praedestinandi immanens. Ergo non ponit aliquid in praedestinitis. His non adjicimus. Quintam: causae Praedestinationis sunt in Deo, beneplacitum, praescientia & dilectio, Sextam: Aeterna est Praedestinatio, facta ante constitutionem mundi: ante quam solus Deus erat, Ephes. 1. 4. Septimam: est sapientissimus Deus.

Deus

Deus. At sapientis est omnia nosse & ordinare, quod est prædestinare. Ultimã: ab autoritate Scripturæ: quæ Deo soli prædestinationem tribuit. Malach. 1. 2. 3. Rom 9. Ephe 1. Ergo Prædestinatio est in solo Deo extra homines: Vndè pijs hæc consolatio nascitur: tutam esse salutem ipsorum. Tutiores enim viuimus, si totum Deo cederimus: Sicut Augustinus ait.

Altera. An Deus dicatur rectius, prædestinasse, quam prædestinare? Affirmamus rectius di. i præterito. Rationes sunt. 1. Prædestinatio est æterna. 2. Scriptura loquitur ubiq; in præterito. Etsi verò Deus non sit sub tempore; nos tamen sumus sub tempore obiectum Prædestinationis.

IV. In definitionem causalem sex obseruo: Genus ipsum; huius attributa; causas Prædestinationis; conditiones; obiectum, eiusdem deniq; certitudinem in quibus differentia.

I. Genus Prædestinationis facio Decretum Dei iuxta hæc dicta, Roma. 8. 28. Secundum Prothesin vocatis. Roma. 9. 11. Vt Prothesis Dei, secundum electionem firma maneret. Sic ad Eph 1. 11 à Prædestinatione ad prothesin ascendit 2 Tim, 1. 9. Secundum propriam prothesin & gratiam. Deniq; *πρόθεσις*, & *πρόβουλος* non tam re, quam ratione differunt: vtrumq; enim significat consilium Dei æternum, medias omnes causas & tempore & ordine causarũ anteedens: etsi ad Romanos octauo, distinctè subordinentur In quibus, *πρό*, æternitatem

nitatem consilij: *πεθεσις* immotam stabilitatem  
*πεόγνωσις* verò rectitudinem eiusdem notat,

II. **Attributa generis.** Hoc æternum esse doceo:  
 Nam neq; initium, neq; finem habeat, neq; ulli  
 mutationi est obnoxium: juxta has rationes.

Prima ab auctoritate scripturæ, quæ æternum  
 esse affirmat, Eph. 1. 4 Rom. 9. 11. Ante quam boni  
 aut mali quid egissent, 2. Tim. 1. 9. Data gratia an-  
 te tempora secularia.

Secunda: Omnia in Deo sunt æterna: cum Deus  
 sit essentia æterna.

Tertia: à perfectione diuinæ & scientiæ & vo-  
 luntatis: Nihil nouit aut vult, quod non ab æter-  
 no voluit aut nouit.

Idem immutabile affirmo, propter firmitatem  
 Prædestinationis: quâ fit, vt neq; Electi damnari,  
 neq; reprobi seruari possint; cum illud decretum  
 nullis humanis conatibus infringi possit, ex qua  
 illa necessitas vel salutis, vel damnationis non ab-  
 soluta: sed infallibilitatis, ex suppositione immu-  
 tabilis consilij diuini, juxta has rationes.

Prima: ab auctoritate Scripturæ, Roman. 9. 6.  
 Fieri non potest, vt exciderit sermo Dei. v. 11. Nō-  
 dum natis, vt decretum Dei firmū maneret. Rō.  
 11. 29. Dona Dei sunt sine pœnitidine. Mal. 3. 6.  
 Ego Iehoua & non mutor.

Secunda: à priori: Prædestinatio est in Deo: quæ  
 verò sunt in Deo, illa sunt immutabilia.

Tes-



## NATIONE DEI.

3)

Tertia: Aeterna est Prædestinatio: Ergo est immutabilis.

Quarta: à perfectione diuinæ naturæ: Deus est sapientissimus & omnipotentissimus, Ergo consilium semel captū mutare non potest: Cum omnis mutatio, vel ab errore vel ab impotētia orta, imperfectionem iudicij significet. Neutrum in Deum cadit.

Quinta. Prædestinatio facta, pro beneplacito diuinæ voluntatis liberrimæ: non pro meritis.

Deniq; idem affirmat Augustinus c. 95. Enchiridij. Ergo est immutabilis.

III. De Causis. Causarum alias facio efficiētes, alias finales. Ex utrisque, alias remotiores, alias propinquiores. Efficiens Prædestinationis remotissima propositum voluntatis diuinæ liberrimum: propinquiores gratia in eligendo, & iustitia in reprobando. Sic finalium remotissima, gloria Dei: Subalternæ, glorificatio, damnatio: De quibus Augustinus in Enchiridio c. 95. & 98. Harum causarum respectu, Prædestinatio dicitur liberrima, ad Roman. 9. 15 & 18. De quibus, latius infra.

IV. De conditionibus: an Prædestinatio sit conditionalis, facta cum conditione fidei & penitentiae præuisæ, aut præsentis? Nos quasuis conditiones negamus: iuxta has rationes.

Prima: Scriptura nullam conditionem apponit, sed de Prædestinatione absolute atque simpliciter,

citer, ubiq; loquitur, Malach. 2. 2. Immo quasuis  
eruditiones negat atque excludit. Roma. 9. 11. Ro-  
ma. 11. 6.

Secunda: Prædestinatio est gratuita, Rom. 9. 11.  
Roma. 11. 5. 6.

Tertia: Prædestinatio est certa ac firma:  
At pugnat, certitudo rei & conditio. Ratio: con-  
ditionalis nihil ponit in esse: seu nihil certi affir-  
mat: cum omnia incerta reddat: vt Scholæ lo-  
quuntur.

Quarta: Prædestinati, secundum propositum  
diuinæ voluntatis; Ergò, ex nulla conditione vllor-  
um nostrorum meritorum.

Quinta: Si conditionaliter. Conditio illa, aut  
esset bona, aut mala: At neutra esse potest. Ratio:  
Propter malam, eligeretur nemo: Bona verò esse  
effectum prædestinationis. Est enim Prædestina-  
tio, præparatio beneficiorum Dei. Ergò Prædesti-  
natio nõ est cõditiõalis, sed simpliciter absoluta.

V. De obiecto, seu causa materiali circa quam,  
Prædestinationis. Obiectum dico, genus huma-  
num: De quo duo hæc trado: Vnum, de variis ho-  
minũ ordinibus. Alterum de qualitate materiæ,  
Principio cõtendo duos esse hominum ordines;  
alios electos, alios reprobos: neque vel omnes ele-  
ctos, vel omnes reprobos esse: iuxta has rationes.

Prima, à dictis Scripturæ, Matth. 20. 16. Mul-  
ti vocati, Matth. 22. 23. Sed quibus est paratum.  
Roma. 9. 22. 23, Vasa ire & gloria. 2. Timoth. 2. 19.

Alij

Alij ad dedecus, Matth. 24. 20. Duo erūt in agro,  
vel in mola.

Secunda, à nominibus varijs, quibus reprobi  
ab electis distinguuntur: Reprobi vocantur vasa  
iræ: comparantur animalibꝰ, factis ad capturam:  
dicuntur perditii: filij perditionis: proscripti ad in-  
teritum: positi ad iram; & alijs.

Tertia, à forma iudicij extremi In fine sæculi,  
Christus separabit totum genus humanū in duos  
ordines; electos, in regnum ipsis ab æterno para-  
rum: reprobos verò in gehennam æternam mit-  
tet, Matth. 25.

Quarta, à medijs ; Vult Deus Euangelium ali-  
quibus reuelatum: alijs verò tectum, Sine quo  
nemo seruatur. Illis Apostolos, his nullos mittit:  
imò prohibet, si quis iret, Neq; quibus verbum an-  
nunciat, his simul corda aperit. Alijs enim fidem  
veram justificantem: alijs solam temporariam lar-  
gitur: quæ omnia ab æterno facere decreuit. Nā  
quidquid nunc agit, illud ab æterno vt fieret, de-  
creuit. Act. 16. 6, 78. Act. 18. 10.

Quinta, ab exemplis, Caini & Abeli: Ismaëlis  
& Isaáci: Iacobi & Esau: qui, totius generis hu-  
mani prædestinati, typi luculentissimi.

Deinde affirmo: Prædestinationis materiã esse,  
genus humanū, peccato Adami corruptū. Ratio-  
nes. I. Quæ nunc facit Deus, illa ab æterno fa-  
cere decreuit: quod est prædestinare: At nunc  
creat corruptos, quatenus naturam, quam cor-

C      ruptam

ruptam inuenit, creat; permittit in peccatum labi; lapsorum alios miseratur, alios non miseratur. Ergo. II. Corruptio est mediū Prædestinationis, Deus decreuit ab æterno, aliquos beare, aliquos perdere. Vt vero vtrumq̄, commodè fieret: illud misericorditer, hoc iuste: talem hominem prædestinari oportuit, vt ad hos fines consequendos, quorum causa crearetur, aptus existeret. Atqui neque seruari eligendi per misericordiam, nisi prius miseri facti: neque damnari reprobandi potuissent, nisi per peccatum obnoxij damnationis. Ergo. III. A dictis Scripturæ, Ephes 1. Elegit nos, vt essemus sancti. Eph 3. 1. Commendat Dei gratiam erga nos, à contrarijs. IIII. Aliàs, vasa gloriæ, non possent laudare gratiam Dei erga se; si ex statu recto electi fuissent, neq̄, dici possent facti ad decus.

VI. De numero Prædestinatorum, in quo spectatur formalis causa Prædestinationis: hominū ad certos fines destinatio; Quæritur: An certus? Certum affirmamus: vt qui neq̄, augeri, neq̄, minui, neq̄, alterari possit: siue namerum formalem, siue materiale, siue certitudinē præscientiæ, qua Deus, quot & qui; siue certitudinem ordinis, quæ in debitis medijs, vertitur spectaueris. Planum, quod affirmo, ab his rationibus.

Prima, à dictis Scripturæ, Iohan 10. 27. Ego oues meas eognosco. Iohan 13. 18. Scio, quos elegerim, Luc. 10, 20. Nomina vestra, scripta in Cælo.

lo.

Io. Luc. 12. 7. Capilli vestri omnes numerati. Ti-  
moth. 2. 19, Nōuit Dominus suos. Huc pertinent  
illa dicta de libro vitæ, infinita. Exed. 32. Psal 69.  
Esa. 4. Dani. 12. Phil. p. 4.

Secunda, ab aduētis Dei. Deus est sapientissi-  
mus & omnipotentissimus.

Tertia, Prædestinatio eñ immutabilis quā, neq;  
electi reprobantur neq; reprobi eligi possunt.

Quarta, Omnium hominum, qui vnquam fue-  
runt, sunt, erunt certus est numerus apud Deum:  
Cum mundus & principium habuerit, & finem  
sic habiturus. Sed hominum, alij sunt electi, alij  
reprobi.

Quinta, Augustinus de correptione & gratia,  
cap 13. Certus est prædestinatorum numerus qui  
neq; augeri, potest, neq; minui. Aquinas Schola-  
sticus hanc quæstionem motā p p. q. 23. 7. sic af-  
firmat: Numerus prædestinatorum soli Deo cer-  
tus est, non solum formaliter, sed etiam materiali-  
ter: non solum vt cognitus, sed vt perdefinitus. Ra-  
tionem hanc adfert: Omne agens intendit facere  
aliquid finitum. Talis excogitet aliquem numerū  
in partibus essentialibus, quæ per se ad perfectio-  
nē totius requiruntur. Ergo falsum, omnes pro-  
miscue esse prædestinationes hac conditione, vt,  
quicumq; crediderit seruetur.

V. Illustro à contrarijs quibus propulsabo, quæ  
huic definitioni nostræ efficere videntur.

Duo contra nostram definitionem disputantur:

Ca

VIII

Vnum, contra simplicitatem alterum contra immutabilitatem praedestinationis: mouetur.

I. Absolutam esse Praedestinationem Dei factam sine vlla conditione meritorum nostrorum: hoc argumento negant aduersarij.

Euangelium est conditionale: Nam praedicatur cum conditione fidei: Si crediderimus. At Euangelium est patefactio Praedestinationis. Ergo Praedestinatio est conditionalis.

Responsio: Neganda consequentia, propter fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Hinc minor falsa, si ἀπλῶς accipiatur. Nam Euangeliū est patefactio Praedestinationis ex parte, non ex toto. Nam Praedestinatio docet, esse electos, quorū numerus tam materialis, quam formalis, Deo soli constiterit: At praedicatio Euangelij non docet Electorum numerorum neq; formalem neque materialem: sed à posteriori quales Deus velit saluatos: nempe credentes & poenitentes. Sic Dominus noster dicit; Scio, quos elegerim: neque tamen hos explicat: sed duntaxat docet in genere: Se venisse in mundum Mediatorē, vt credentes saluet. Ergo magnum est discrimen, inter Praedestinationem & praedicationem Euangelij.

II. Contra immutabilitatem Praedestinationis, haec & similia inferuntur.

I. Angelo Philadelphienſis Eccleſiæ dicitur: Tene quod habes, nè aliū coronam tuam accipiat.

Locum

Locum de corona gloriæ intelligunt, Apoc. 3. 11. Forma Si amitti potest Corona gloriæ, est Prædestinatio mutabilis. Sed potest: Textus. Ergò mutabilis est Prædestinatio.

Responsio duplex: vna ad consequentiam, altera ad minorem. Consequentia neganda: tum, propter paralogismum à dicto secundum quid: tum homonymias Ratio: ex hypothetica exhortatione, nulla affirmatio sequitur. Deinde, corona gloriæ significat Ministerium, quod amitti potest sine immutabilitate vlla electionis. Altera ad minorem per distinctionem: Corona gloriæ amitti posse bifariam intelligitur, vel Dei, vel nostri respectu. Respectu nostri posset amitti, Sumus enim mutabiles: Dei verò minimè. Sunt enim dona Dei ametameliata.

Similiter respōderi debet ad illud dictum Pauli, Qui stat, videat ne cadat, 1. Cor. 10. 12. Nam exhortationes non infringunt, sed potius cōfirmāt Prædestinationis immutabilitatem. Sunt enim media Prædestinationis, destinata ad fines Prædestinationes immutabiles: quibus Electi, suā natura mutabiles, ita in officio retinētur, ne in mortem excidere possint.

II. Si firma Prædestinatio, tollitur libertas arbitrij, omnisque rectè agendi conatus: Sed firma, Ergò.

Responsio per negationem consequentiæ, propter fallaciam non causæ, vt causæ: Hinc falsa si

C 4

maiore

maior. Ratio: subalterna non pugnant. Posita prima causa, non tolluntur secundariae, sed potius ordinantur & firmantur. Secundariae sunt arbitrium hominis, voluntas reformatata, conatusq; recte agendi.

In hoc errore erant Monachi, ævo Augustini: quos, vt ab hoc errore abduceret, librum scripsit pulcherrimum, de correctione & gratia: Tomo septimo.

III. Paulus ad Roma. ii. docet, Iudæos excisos restituendos & gentes insitas excindendas. Ergo mutabilis Prædestinatio.

Responso fallacia figuræ dictionis, Non de singulis aliquibus Iudæis, aut Gentilibus illic loquitur: sed de ipsis populis vniuersaliter cōsideratus: quorum status ex eo æstimatur, quòd in genere gens quædam, amplecti se profitetur. Euangelium. Verū est, modo gentem quandā inferi per misericordiam, antea reiectam: & vicissim iusto Dei iudicio repudiari gentem, propter cōtumaciam: manente semper immoto Dei decreto de singularibus personis.

IV. Si imutabilis est reprobatio: sequetur Deum iniuste & de peccatoribus cōqueri, & eosdem punire Ratio maioris: Ipsi reprobi non solum faciunt voluntatem Dei, peccando; verum etiam ita peccant, vt non possint non peccare; iuxta hoc dictum Rom. 9. 29. Voluntati eius quis resisterit? Sed: Ergo, &c.

Respon-



Responsio triplex Prima, ad consequentiam, à negatione; propter fallaciam, vel non causæ, vt causæ; vel à nō consequenti. Hic fit falsa Maior, quæ neganda. Ratio: Immutabilitas reprobationis, nō potest esse causæ, iniustitiæ diuinæ, vel in querendo, vel in puniendo: Nam proxima causæ querelæ atq; poenæ diuinæ omittitur: ipse rebellio peccatorum. Perpetuò aduersarij medias causas, quibus Deus decretum suum immutabile exequitur ab ipsa reali executione pessimè diuellunt. Deniq; non pugnant immutabilitas voluntatis diuinæ, cum iustitia. Hanc veram esse sophismatis solutionem, docet Paulus, qui ad Romanos, eandem sibi opponit; Dices ergo mihi: Quid adhuc succenset? Nam voluntati eius quis resisterit? cap. 9. 18.

Secunda responsio, ad rationem maioris primam: in qua, fallacia Homonymias. Est voluntas Dei duplex, vna Arcana, quam beneplaciti, quæ semper fit, & quam nemo in fringere potest: altera reuelata, quam signi Scholastici vocant, secundum quam nobis est viuendum, & in quam se obuertunt Satanas, atque reprobi. At qui peccant, et si faciunt, quæ Deus vult, voluntate sua arcana: tamen non excusantur à peccato, cum faciant contra illam voluntatem Dei patefaciant, ex qua nobis est viuendum. Neque enim sunt peccata estimanda ex voluntate arcana, sed ex reuelata.

Tertia responsio, ad secundam rationem maioris, in qua fallacia non causae, ut causae. Fatemur, necessario peccare reprobos, nec posse non peccare: Sed simul affirmamus, hanc necessitatem esse contractam, spontanea voluntate hominis. Neque; necessitas peccandi, peccatum excusat: si à libera, non autem à coacta voluntate admittatur. Aliud enim necessitas naturae, aliud coactio. Cogimur, cum inuiti, contra voluntatem ad aliquid agendum impellimur. Necessitate verò cōstringimur, cum non possumus quidem aliter facere, quam facimus; etiam si illud volentes ac spontè faciamus. Sic impij; scientes ac volentes, cum delectatione peccant: neque; tamen non necessario; Peccant enim duplici necessitate, una consequentiae, necessitate reprobationis: altera consequentis necessitate naturae corrupte. Mat. 12. 34. Quomodo poteritis bona loqui, cum &c. Ioh. 12. 39. Non poterat credere: Quia iterum dixit Esaias, Exegavit oculos, &c.

V. Dauid dicit, Deleantur de libro vitae, Psal. 69. 13. Ergo mutabilis est Praedestinatio.

Responsio; Fit fallacia Homonymias, in locutione figurata. Expungi dicuntur è libro vitae illi, quum quales sint, declarantur, tam sibi, quam alijs. Permulti, secundum praesentem iustitiam & temporariam fidem, tam sibi, quam alijs, scripti in libro vitae videntur, cum tamen reuera non sint. Petitio verò illa Moysis, qua se petit deleri ex libro fieri

vitæ. Exod. 32. conditionalis est. Cuius sensus: Si fieri potest, & si pœna opus est, me potius dele de libro vitæ, quàm vt populum tantû perdas. Neq; ex conditionali inferri potest absoluta: qualis: Ergo electi perire possunt. Ergo, mutabilis est Prædestinato.

## THESIS III.

*S*unt autem Prædestinationis species duæ: Electio & Reprobatio.

I. Explico: Thesis hæc partitionem Prædestinationis monstrat.

II. Confirmo ab his dictis, Malach. 1. 2. vbi vtraq; species Metonymicòs notatur; Electio, voce Dilectionis: Reprobatio verò, voce odij: Odit autem illos, quibus negat: gratiam vitæ æternæ; quos punire decreuit, quosq; detestatur, Roman. 9. 18. 22. & 23.

III. An verò Prædestinatio, generis vicem gerere possit, quæritur. Principio fateor, hoc verbû frequètius sonare prædestinationem Sanctorum; sicut liquet à dictis Scripturæ varijs. Nonnunquã tamen generalius capitur: Sic Principio patet ab his dictis, quibus sermo de reprobis habetur. Act. 4. 28. dicuntur prædestinati ad mortẽ Christi conficiendam Iudæ & gentes. Act. 1. Iudas prævaricatus dicitur, vt abiret in locum suum, nempe

ad quem erat praedestinatus Roma. 9. 17. dicitur.  
Antequam boni aut mali quid fecissent,

Deinde, Patres et si interdum sint locuti timidius, ut potius praescitos malos, quam praedestinos dicerent veriti calumnias Manichiorum; ne vel Deum peccati atque exitij auctorem facerent; vel impios a malitia excusarent: tamen saepenumero pro genere usurparunt. In his Augustinus; qui libro 15. de ciuitate Dei, c. 1. docet esse nomen generale Praedestinationis. Textus: Mysticè appellamur ciuitates duas, id est, duas hominum societates: quarum vna praedestinata est, in aeternum regnare cum Deo: altera aeternum iudicium subire cum Diabolo. Sic. c. 100. Enchiridij docet; Deum tanquam summè bonum, benè vti & malis ad damnationem ipsorum, quos iustè praedestinavit ad poenā, & salutem eorum, quos benignè praedestinavit ad gratiam. Deniq; idem confirmat a notatione Praedestinationis. Est enim Praedestinare in Deo, futura opera sua disponere: ut inquit Augustinus c. 17. de bono perseuerantiae. Sed Reprobatio est futuri operis diuini dispositio. Ergo decretum Praedestinationis, est commune genus & reprobationis & electionis.

## THESIS IV.

*P*rima verò Praedestinationis species est *E-*  
*lectio:*

*lectio: quæ ad vitam æternam gratis prædesti-  
nati sunt; quoi quoi saluantur.*

Explico: Huius definitionis duæ sunt partes.  
I. Definitum est æquiuocum: Sunt enim Electionis  
significata quatuor. Primo significat æternam &  
gratuitam electionem ad vitam æternam, in Christo  
factam: Sic in hac disputatione capitur. Ephes. . . .  
Secundo significat vocationem efficacem factam in  
verbo & Spiritu Christi, effectum electionis, *με-  
τ' οὐμιχῶς*: sic Iohan. 15. 19. Ego vos elegi de mū-  
do Tertio significat vocationem temporariam,  
externam sancitatem symbolis fæderis. Sic popu-  
lus Israël electus dicitur: Sic Petrus omnes Chri-  
stianos, electos vocat, 1. Pet. 1. 1. Postremò, voca-  
tionem ad aliquod ministerium, vel politicum,  
vel Ecclesiasticum. Sic Iohan. 6. 70. Nonne ego  
duodecim eligi.

Notatio vocis; Est autem Eligere, ex vniuerso  
quodam cœtu quædam separare, atque in alium  
vsum, dissimilem à priore, destinare: sic accipitur  
vox, Deut. 7. 6. Quare, qui particularem electio-  
nem negant, & vniuersalem statuunt, sani non  
sunt. Nam qui omnia accepit, nihil eligit: & qui  
eligit quippiam inter duo, vel plura: necessario  
dicitur quæ non eligit reprobare. Itaq; ex mutua  
Relationis lege reprobationem cōfirmat electio:  
Est enim electio, *ἐκ τῶν πλείσ τε*. Thomas Schola-  
sticus: Diligere est alicui bonum velle: Eligere verò  
est

est hoc bonum aliquibus, præ alijs velle, cū quosdam reprobet. Articulus 4.

II. Definitio ipsa à Paulo ad Ephesios describitur c. 1. 4. & deinceps, à toto causarum suarum ordine. in qua hæc sex observanda: quis eligat: qui electi, quos, ab effectis, sanctitate & caritate describit: in quo electi, Christo: quando: quomodo vel quibus conditionibus, gratis: ad quid: sanctificationem nostram, atque laudem Gloriæ Dei. A quo capite, facile definitio cōpingi potest plenissima.

Augustinus cap. 10. de Prædestinatione Sanctorum; dicit esse propositum miserandi, & præparationem gratiæ. Vbi gratia effectum significat. Idem, c. 14. de dono perseverantiæ, definit esse præparationem beneficiorum, quibus certissimè liberantur, quicumq; liberantur.

## THESIS V.

**E**st autem Electionis causa efficiens impulsiva, verissima, una & absoluta hæc: Solum diuinæ voluntatis propositum gratuitum: exclusis omnibus meritis nostris bonis, vel præteritis, vel præuisis, vel præsentibus, siue internis, siue externis.

I. Explico: Thæsis hæc monstrat veram ac

no-

~~omnium~~ electionis nostræ causam,  
illustratam à ~~causis~~ falsæ.

Est autem quæstio, de causis electionis, omniū  
grauissima; & propter hæreses, vexatissima. Cuius  
quæstionis caput hoc: An sit aliqua causa impul-  
siua, sita extra Deum, in ipsis hominibus, à qua  
præuisa permotus fuerit Deus ad eligendum. Ta-  
lem mouentem, & ratiocinatiuam Rhetores vo-  
cant, relatam ad genus causarum efficientum.

Pelagiani & Semipelagiani, talem extra Deum,  
in nobis positam affirmât. quàm nos recte nega-  
mus: de quibus, præter Augustinū, Aquinas Scho-  
lasticus, articulo 5 q. 23 p p.

II. Confirmo thesin quadrifariam.

Principiò, ab auctoritate scripturæ, Scripturæ  
electiones causas has monstrat: propositum, vo-  
luntatem Dei, propositū voluntatis bēeplacitum,  
præsciētiā, dilectionē, misericordiā, gratiam. Sed  
hæ in solo Deo, extra nos sitæ. Ergò impulsivæ  
Electionis est, solum voluntatis diuinæ propo-  
situm. Maioris veritas cōstat ab his dictis. Rom, 8.  
vers. 28. 29. vbi propositum & præscientiam ha-  
bes. Roman, 9. 11. 13. 18. & 21. vbi propositum, dile-  
ctionem volūtatem & potestatem vides Rom 11.  
vers. 5. vbi electio gratia vocatur, opposita operi-  
bus, Ephes. 1. 5. vbi beneplacitum vers. 11. propo-  
situm & consilium voluntatis: Quas causas ex-  
plicat & illustrat, varijs locutionibus Paulus: ver-  
bo

bo Eligendi: in Christo: qui omnia merit excludit; ut ostendatur; si quid sit extra Deum, à quo sit permotos ad nos elegendos id fuisse Christū Mediatorem: à tempore æterno à finibus: deniq; In sese. Ergò extra Deum nihil erat, quod ad eligendum induceret.

Deinde, A rationibus I. Vbiq; scriptura disputas de Prædestinatione opera excludit, Rom. 9. 11. Rō. 11, 6. 2. Timot. 1. 9. II. Opera bona sunt effecta electionis: Ergò causæ esse non possunt, Ephe. 1. 4. 2. 10. III Si opera sunt causa electionis, & iustificationis. Tit. 3. 4. 5. 6. IV. Si ex operibus, aut naturæ, aut gratiæ. Sed opera gratiæ sunt effecta electionis: Opera verò naturæ sunt peccata. Ergo. V. Si ex operibus spoliaretur Deus sua libera potestate: & hominum alij inflarentur & superbia, alij desperatione salutis debilitarentur. Sic Lutherus. Electio tollit libertatem voluntatis, & libertas electionem: sine qua Deus esset idolum fortunæ, Deus Homericus & Aristotelicus, cuius vel conuiuantis aptud Aethiopes, vel dormientis bonitate homines vel vtantur, vel abutantur. VI. Eodem modo Deus decreuit omnia dare quo nunc dat: Sed nunc dat omnia gratis, gratiam & gloriam: Ergò gratis dare decreuit Minor aperta. VII Voluntas non solum Dei tempore. sed etiam ordine causarum ipsam rerum existentiam atq; qualitates necessario præcedit: neq; res à seipsis, & quod fiat, & quod tales sint, existunt.

Tertios



Tertio: Ab auctoritate Augustini: qui duobus libris hiscè, vno de Prædestinatione Sanctorum, altero de dono perseverantiæ docet, electionem esse gratuitam; à longâ inductione ipsorum donorum electionis: Addit, Cyprianum usum hoc dicto Pauli: Quid habes, quod non accepisti? quo doceret in nullo gloriandum: Quo & se ait, conuictum retrahasse errorem suum huc fidem in nobis, à nobis esse, c. 3 de Prædest. Sanctorum,

Deniq;, Scholasticorum principes idem censent: Lombardus lib. 1. c. 4. negat, vllum esse meritum misericordiæ. Aquinas articulo 5. negat, esse ex præscientia meritorum, electionem: huc allato dicto Pauli ad Titum: Non ex operibus iustitiæ. Cõcludit hinc: Sicut autem saluos nos facit; ita prædestinauit nos saluos fieri: Sed saluat nõ ex operibus iustitiæ. Ergo neq; ex operibus iustitiæ prædestinauit. Addit hanc rationem: Prædestinatio cum sit æterna, nullã ex parte actus prædestinantis, causam habet præter diuinam bonitatẽ: Subdit. Nullus ita fuit in sanæ mētis, qui diceret, merita esse causam diuinæ Prædestinationis ex parte actus prædestinantis. Præclare?

III. Illustro à contrarijs: quibus dituo Sophismata aduersa hæreticorum, qui Electionis causam in operibus humanis defigunt: Sed diuersi modi. Alij enim in præteritis: alij in præuisis, seu futuris: alij denique in presentibus locant. Præteritis meritis, electionis gratiam tribuit Origenes: qui

qui fabulatur, omnes omnium hominum animas simul in Coelo creatas, illic quasdam commisisse culpam: quasdam, nullam atq; pro diuersis meritis, diuersos Praedestinationis status esse promeritas Sed hunc, vel vnico hoc Pauli dicto, ad Rom. 9. 11. refutatum iri, docet Aquinas Scholasticus. Rectissime. p. p. q. 23. a. 5.

Felagiani & Semipelagiani partim praesentibus, partim praeuisis meritis, electionem adscribunt: de quibus Augustinus, Epist. 89. 90. 92. 94. Thomas p. p. q. 23. a. 5. Quorum sophismata praecipua haec.

I. Gratia Dei tanta omnibus offertur, quanta ad salutem satis fit: Sed in potestate hominis est, illam vel accipere, vel repudiare. Ergo arbitrij humani vsus vel praeuissus, vel practicus, causa est electionis & omnis gratiae. diuinae,

Responsio duplex: Prima, per negationem consequentiae: propter vitium formae. Nam in syllogismo termini quatuor. Altera, per negationem vtriusque propositionis. Maior falsa: siue gratiam Dei intelligas eternam, siue externam, R. Interna, qua credimus & poenitemus, non omnibus ex aequo offertur, sed solis electis: iuxta haec dicta, Matth. 11. 25. Mysteria Dei dicuntur abscondita sapientibus: Addita ratione a beneplacito diuino. Iohan 6. 44. Nemo venit ad me, nisi quem Pater traxerit. Venimus per veram fidem: trahimur praedestinando & vocando. Hinc fides dicitur fides Electo-

Electo-

Electorum, Roma, 9. 18. Misereatur quorum vult. Ephes. 1, 11 forma: Si solis Electis, & quidem secundum beneplacitum Dei, gratia Dei interna datur. Ergò non omnibus. Neque gratia illa externa omnibus promisenè offertur: quæ constat generali vocatione, facta vel per prædicationem Evangelij, vel per contemplationem naturæ: quod liquet ab his rationibus: Euangelium nõ omnibus annunciat, Matth. 11, 21. de Tyrijs. Neque omnes ad contemplationem naturæ adolefcunt, citius è medio sublatis, quàm, idoneam contemplandi ætatem attigerint: de qua, ad Rom. 1,

Et falsa Minor: quod ab his dictis planum facio. Ioha. 6, 44. Nemo venit ad me, nisi, &c. Hoc dicto frequentissimo vsi patres, Hieronymus & Augustinus, contra Pelagium, sic explicant. Augustinus: Verbo trahendi, omnes liberi arbitrij vires, in ijs, quæ ad salutem pertinent, & omnia merita excluduntur. Hieronymus ait: Eos, qui dicuntur trahi, significari hac voce prius fuisse auersos, reluctantes & inuitos, Roman. 9, 16. Non est currentis, Phili. 2. 13. Deus efficit in vobis, 2. Corinth. 3. 5. Non sufficientes cogitare aliquid à nobis. Ad quod dictum, Aquinas sic: Nullum est, vel inueniri potest principium anterius, quàm cogitatio: Vnde non potest dici, quod aliquod in nobis exitium existat, quod sit ratio effectus Prædestinationis. Actor, 16. 14. Credunt, quibus Deus

cor aperit. Deniq; arbor mala, non fert fructus bonos, Matt. 7, 17. Iohan. 3, 4.

II. Deus nihil decreuit, vel de salute, vel de exitio hominum, nisi cum conditione poenitentiae, & impoenitentiae, quae sit posita in libero arbitrio hominum: adeo ut perdat contumaces, quos seruatū iri sperabat; & seruet resipiscentes, quos perdere rebellantes destinauerat. Ergo à nobis Electionis.

Responsio: Negatur antecedens, ut falsum. R. Hoc est Pelagium, ab inferis reuocare: Dei prouidentiam à voluntate hominum suspendere: opificē suo ipsius operi subijcere: deniq; aperte hoc negat Apostolus duobus exemplis & rationibus, ad Rom. 9, 6. *Primum autem quod est bonum in malis*

III. Apocal. 3, 20, Sro ante ostium & pulso: si quis apperuerit, ingrediar. Ergo opera sunt causa Electionis. *Non deum ad se trahit, sed ad se trahit*

Responsio: Neganda consequentia. Negationis rationes tres. Prima: propter fallaciam à dicto secundum quid. Nam ex hypotheticis propositionibus, nihil sequitur, nisi hypothesis affirmetur. Altera, propter fallaciam figuræ dictionis, in praeterita Synecdochia locutione: Quod Deus facit, nobis tribuit: quia efficit, ut velimus & faciamus: iuxta hoc Ezechielis dictum, cap. 36. Tertia, propter fallaciam non causæ, ut causæ. Posita causa secundaria, non tollitur prima.

IV, Paulus ait, 2, Timoth. 2, 20. Si quis se ab his expur-

NATIONE DEI.

expurgarit, erit vas ad decus sanctificatum, & ad  
omne opus bonum. Ergò electionis causa, opera.

Responsio: Neganda consequentia. Negationis  
ratio prima, à fallacia à dicto secundum quid. Ex  
huiusmodi hypotheticis, sicut dictum est, non se-  
quitur virium nostrarum facultas ad bonum na-  
turalis: (cum scriptura contrarium doceat: omnia  
bona, à Deo, in nobis esse.) Sed duo longe diuer-  
sa, ex his dictis cōditionalibus, sicut & ex præcep-  
tis, conficiuntur: Vnum: ratio officij nostri: nem-  
pè: vt nos à reprobis emundemus. Alterum, sy-  
nergia nostra: Deum, etsi in nobis operetur, non  
tamen operari sine nobis: neq; in nobis, vt in triu-  
cis, qui se habeant merè patheticós: sed ita nos à  
Deo, ad omne bonum moueri: vt moti simul nos  
& intellectu, & voluntate ad omne opus bonū in-  
flectamus: adeò vt cooperatores Dei fiamus: iuxta  
illud Ezechielis cap 36. 27, Faciam, vt in præcep-  
tis meis ambuletis. Vtrumque Dei donum.

Secunda, à fallacia ignorati Elenchi. Non agit  
hoc versu Apostolus, de caussis Electionis,  
sed de Effectis, atque docet, à quibus signis de-  
prehendere possimus, nos esse vasa gloriæ, ad de-  
cus comparata: nempè à sana doctrina at-  
que sanctitate vitæ: iuxta hanc regulam: A  
fructibus cognoscetis eos. Ergò locus hic non  
docet, Electionem pendere, sed agnosci ex ope-  
ribus.

D ij

V. Deus

*Synag*  
*Pach*  
*27*  
*del*

V. Deus vnicaq; redditurus est secundum o-  
pera sua, Rom. 2. 6. Ergò, non sola electionis caus-  
 sa est voluntas Dei.

Responsio: Negandi consequentia Negationis  
 rationes sunt duæ. Prima propter fallaciam ab ig-  
 noratione Elenchi: Non enim agitur illic de cau-  
 sis Electionis: sed de conditionibus saluandorum  
 & damnandorum. Secunda: propter fallaciam fi-  
 guræ dictionis. Aliud secundum opera: aliud  
 propter opera. Ratio: Propter, causam designat  
 vel efficientem, vel finalem: Secundum, modum  
 duntaxat & consequentiam in agendo. Sic scrip-  
 tura verè dicit: Deum vnicaque redditurum, se-  
 cundum opera. Locutionis rationes sunt hæ. Pri-  
 ma: Iudicaturus singulos à posteriore. Sunt autè  
 opera bona, testimonia fidei & æternæ Electionis:  
 iuxta illud Christi. Esuriui. &c. Secunda: Imper-  
 fecta sunt nostra opera bona, & sic indigna vlla  
 retributione Ergò non propter opera, Tertia: Etsi  
 perfecta essent: tamen cum sint debita, merita  
 esse non possunt: Ergò, non propter opera. Luc. 17.  
Quarta: Opera sunt effecta electionis, Ephes. 2.  
 10. Quinta: Vita æterna est donum Dei. Rom 6:  
Sexta: Christus ipse docet, vitã æternã dari solis  
 Electis; quos vocat benedictos patris, quibus reg-  
 nũ illud vitæ, sit paratũ à jactis fundamentis mũ-  
 di, c. 25. Mat. Eosdẽ tamen dicit, & iudicandos &  
 agnoscendos ex operib9 bonis suis electos: quos;  
 mundus in loco sceleratorũ, in hac terra ponebat.  
 Deniquè

Deniq; Si propter opera cum hac dictione: fide-  
libus propter opera Christi, quæ ipsis imputatur:  
infidelibus, propter opera propria prava. Addo:  
Tanta est Dei bonitas, ut sua dōa, nostra velit esse  
merita, & pro ijs quæ largitus est, æterna præmia  
sit daturus. Sicut præclare scribit Augustinus, c. 32.  
de dogmatibus Ecclesiasticis.

VI. Lucæ 1. 48. ait Maria. Respexit ad  
humilitatem meam. Ergo virtutes sunt causæ E-  
lectionis.

Responsio: Neganda consequentia: propter fal-  
laciā homonymias. Neq; de æterna electiōe ad  
vitam, neq; de virtute humilitatis: sed de gratia  
externa Dei loquitur, qua, se abiectæ conditionis  
filiam, ad tantam deiparæ dignitatem prædesti-  
nauerit.

VII. Precibus Sanctorum à Deo præuisis, mul-  
ti ad vitam sunt prædestinati Ratio: Ab exemplis:  
Annæ, quæ precibus electionē filij Samuelis im-  
petrauit Stephani, qui suis precibus electionem  
Pauli acquisiuit: Gregorij magni, cuius precibus,  
Traianum, è loco reprobatorum fuisse exoratum,  
fabularur Damascenus. Huc facit illud axioma  
Pontificiorum: Si non es prædestinatus, roga, ut  
prædestineris.

Responsio: neganda consequentia: propter fal-  
laciā non causæ: ut, causæ. Non preces, sed solū  
æternum & immutabile diuinæ voluntatis pro-  
positum, electionis est causa. Ratio: Preces, cum  
sunt

sint temporariae, aeternae rei vel causam vel impedimentum afferre non possunt. Faciunt tamen ad multa effecta Praedestinationis consequenda. Sic soluit Scholasticus Aquinas hoc argumentum, articulo 2. Praedestinatio, quo ad ipsam praedestinationem, nullo modo iuari potest: quò vero ad effectum, iuari precibus sanctorum potest. Duo enim sunt consideranda in Praedestinatione: ipsa praedeterminatio diuina, & effecta eius. Primum iuari nullo modo potest: secundum potest; quia providentia causas secundas, non subtrahit.

VIII. Beneplacitum Dei non est alogon: iuxta hoc Pauli: O profundas diuitias, Rom. 11. 33. Ergo solum beneplacitum non est causa electionis.

Responsio: Neganda consequentia: propter fallaciam ignorati Elenchi. Non vertitur inter nos: an aliqua sit causa voluntatis diuinae: sed quaeritur; an extra Deum, vlla voluntatis huius, qua elegit, causa in nobis. Damus, voluntate Dei non esse alogon; cum agat sapientissimè, & sine sapientia non sit voluntas Dei.

IX. Augustinus ipse sic docuit: sicut liquet ab Epistola 105. ad Sixtum. Ergo.

Responsio: Neganda consequentia: propter fallaciam à dicto Secundum quid. Ratio: Cum nondum diligentius inquisiisset, qualis esset Electio, multum prauius fidei tribuebat. Sed sapientior factus, meditatione verbi, priorem errorem abiecit. Sicut patet 5 cap. 23. Libri primi Retractationum,



num. Et a cap. 3. 4. de Prædestinatione Sanctorum.

X, Electi cum conditione fidei, vt credamus,  
Ergò fides est causa Electionis.

Responsio: Fallacia non causæ, vt causæ. Etsi  
conditio fidei Electis incumbat: non tamen  
pendet electio: immò contrà, cum electi soli cre-  
dât, pendet à decreto electionis, fides. Ideò enim  
credimus; quia ordinati sumus ad vitam, Act. 13.  
v. 48. Sic & docet Augustinus, libro primo Re-  
tractationũ, cap. 23. Qui libro de prædestinatio-  
ne Sanctorum, cap. 17, ait: Electos non esse ho-  
mines, quia crediderũt: sed credere, quia sint ele-  
cti. Sic cap. 19. negat, Propter fidem nos electos.  
Nam docet, & initium & perfectionem fidei non  
esse à nobis. Denique, decretum Electionis, cum  
electione reali, id est executione, eiusque causis,  
confunditur, pessimo paralogismo ab ignoratio-  
ne Elenchi.

## THESIS VI.

**E**tsi autem Electio facta sit ex solo propo-  
sito diuinæ voluntatis; tamen sine medijs  
facta non est: Causarum verò mediarum, per  
quas, Deus hoc propositum suum gratuitum,  
in electis seruandis, ad gloriam misericordiæ  
sue exequitur, aliæ in ipso Deo, aliæ vero in  
ipsis electis inbærēt: cuiusmodi; creatio hominis

*in recto statu, ad imaginem Dei: corruptio spontanea & merè voluntaria totius naturæ humane, intelligentiæ cecitate atque voluntatis seruitute deformata: vocatio efficax ad Christum, ab hac corruptione naturali: fides: atq; Effecta fidei.*

I. Explico: Medias causas ostendo huius æterni propositi exequendi, quinq;: quarum tamen quædam sunt communes tum electis, tum reprobis. Communes, creatio & corruptio: priuatæ electorum, reliquæ.

II. Confirmo. Principio in æterno proposito, constitutis finibus, voluit existere tandem Deus opificium suum. At Deus, cum sit ipsa bonitas, vitiosum opus condere non potuit: Sic propositio creationis primum locum tribuo. Deinde hominum talem creari oportuit, ut ad hos fines consequendos, quorum causa crearetur, aptus existeret. At neque seruari electi per misericordiam potuissent, nisi prius miseri facti: neque reprobi damnari quiuissent, nisi per peccatum, damnationi obnoxij. Itaque mutabiliter bonum condi oportuit hominem: hoc est, verâ tum intelligentiæ luce, tum voluntatis rectitudine præditum; sed in vtramque partem liberâ, ut mutatio ex bono in malum, à motu voluntatis spontanea, intrinsicè oriretur. Nam si immutabilem creasset, neque

neque fines sibi ab æterno propositos exequi potuisset, neque gloriam suæ naturæ solius immutabilis sibi assereret. Sic corruptioni spontaneæ locum secundum tribuò. Post, à corruptione seruandum vocari ad *κένωσιν* Christi oportet, in quo salus, internè per Spiritum Sanctum illuminantem & purgantem: externè per ministerium verbi. Hinc ex vocatione fides nascitur: quæ, notitia, assensione & *πληροφροσίν* constat. Col. 2. 2. Ex fide, iustitia duplex oritur. vna imputata, altera inherens. Imputata; extra nos in Christo posita, sic nostra, applicatione gratuitâ, per formulam promissionis. Cuius iustitiæ partes tres: poenæ à Christo perpeffe: Plena legis præstatio; quæ duo ita reatum nostrum abolent, vt etiam iustitiam conferant: denique plena naturæ nostræ in carne Christi per Spiritum Sanctum, sanctificatio: quæ, natiuam corruptionem in Electis aboleri cœptam, ita tegit: vt *δικαιομα* legis illud in nobis, Christi iusticia obtectis: inueniatur. Iustitia verò inherens, est donum regenerationis: cuius fructus, opera bona. Est autem discrimen vtriusque iustitiæ, hoc duplex: Illa in alieno subiecto, extra nos; hæc in nobis insidet; Illa in alieno subiecto, extra nos hæc in nobis insidet, Illa absolutissima: hæc manca, carnis reliquijs, aduersus Spiritum luctantibus, infecta. Nec tamè inutilis hæc iustitia inherens; cum nobis certum testimonium electionis nostræ suggerat: Sicut  
 motus,

motus, vitæ signum. Nam filij Dei, qui Spiritu Dei aguntur.

Adhæc, huius iustitiæ fructus Deo placent, nō quatenus à seipsis; Sed à Spiritu Sancto æstimantur: propter quem, gratos illos habet, eosq; benedictionibus quibusuis, pro magnitudine beneficentiæ suæ renumerat.

Postremò, hæc mediæ causæ describuntur ad Rom. 8. 29. 30. vocibus vocationis & iustificationis. Item ad Ephesios primo & secundo.

## THESIS VII.

**E**ST autem vel præcipuum medium, à Deo; ad executionem huius gratuiti decreti, subordinatum, Iesus Christus Mediator: sine quo, tanta unio inter Deum eligentem, atq; populum electū, coire non potuit: Ita q; quotquot ad vitam æternam electi sunt, in Christo Iesu electi sunt.

I. Explico hæc THESIS, Mediatorem ostendit; in quo sancita est electio, mediā causam, vel præcipuam, electionis exequendæ. Termini Theseos.

II. In Christo cum dicimus nos electos, CHRISTVM consideramus; neque vt Deum: Nam electio opus totius Trinitatis: neque vt purum hominem: Nam ad unionem æternā firmandam imbècillior fuisset: Sed vt Mediatorem  
*Ἰεσὺν ὁρῶμεν.*

III. Sig-

III. Significat autē hęc Phrasis, has doctrinas. Principio, monstrat vinculum, in quo firmata sit nostra electio. Deindē notat caput omnium electorum, in quo Deus ab æterno omnes benedictiones suo tempore nobis cōmunicādas collocavit. Tertio, docet neminem extra Christum, neque electum, neque servatum: sed sicut nunc per & propter Christum benedicimur; ita ab æterno in ipsos nos fuisse ad benedictiones, electos. Quarto, nullam electionis causam esse in nobis. Deniq; signum ostendit electionis, in quo firmitudinē electionis quæramus. Alibi Spiritus Sanctus, vbi disputat de effectis electionis, alias phrasēs de Christo vsurpat: nempe per Christum & propter Christum. Illā, notatur actuale officium Christi, quo, Deo patri reconciliamur: hac vero describuntur merita, propter quæ saluamur.

H. Confirmo ab rationibus duabus: I. Ab iustitia Dei prædestinantis. Constituit Deus suam gloriam patefacere non solum eligendo, verum etiā reprobando: vt docetur ad Roman. 9. Vtrumque fieri oportebat per medium, in quo homines iustitiam Dei conspicerent. Ad hanc mediationem aptissimus erat Filius Dei: iuxta hoc Petri; præordinatus ante iacta mundi fundamenta.

II. Ab officio Mediatoris: Mediatoris est non solum à peccatis in tempore redimere; verum etiā in semetipso, è reliquis hominibus, ante constitutionem mundi seligere. Idcirco ipse primum  
electionis

electionis effectum rectè dicitur. 1. Petri 1. 20.  
 Hinc colligimus, Deum non esse iniustum in electis saluandis: quoniam et si quos voluit, amoris & saluti ex mera voluntate sua destinavit: tamen illos non nisi propter perfectam Christi iusticiam imputatam, re ipsa & amat & seruat. Aliud enim est amoris destinare, quam re ipsa amare & seruare. Cum inter destinationem & executionem eius, mediæ causæ à Deo ordinatæ intercedant, quæ ipsum ab omni iniustitiæ suspitione facile liberant.

## THESIS VIII.

*S*icut autem electio est merè gratuita: ita & omnia electionis effecta sunt gratuita dona Dei; quæ recensentur synecdochicòs, partim ad Rom. 8. partim verò ad Ephe. primo atq; secundo: vocatio, iustificatio, glorificatio.

I. Explico: Thesis hæc de effectis electionis agit. Effecta electionis nuncupo omnia dona Spiritualia, Electis efficaciter vocatis ad salutem necessaria.

II. Confirmo ab his dictis, Philip. 1. 6, persuasum habens: ubi docet & initium & finem bonorum nostrorum esse dona Dei vers. 29. Vobis datū est: quo initium & finem omnium donorum nostri docet August. Qui inductione longa, tribus  
 hisce

## NATIONE DEI.

61  
In hisce libris, de prædestinatione Sanctorum, de dono perseverantiæ, & de gratia ac libero arbitrio, præclare disputat, omnia nostra dona spiritualia, interna & externa, dona Dei esse.

## THESIS IX.

**S**UNT autem electionis duo fines glorificatio hominum Electorum, & Gloria DEI eligentis.

II. Explico: Loquitur Thesis de finibus ultimis, ijsque proprijs electionis. Finis autem proprie dicitur ille, cuius causa, reliqua finiunt, & ad quem, præcedentia diriguntur, ipse vero ad aliud non ordinatur. Sic proprius electionis finis, si electos spectes est ipsorum glorificatio: Iuxta hæc dicta. Mat. 25. 24. Venite: Rō. 8. 30. glorificavit. Alter proprius, Deum ipsum concernens, est ipsa Dei clementissimè eligentis gloria: Iuxta hæc dicta, Eph. 1. 6. Rōma. 9. 22. 23. Prouerb, 16. 4. Hi fines proprij inter se comparati differunt relatione: qua, ille omnium ultimus dicitur, ad quem & nostri glorificatio, & tota prædestinandi ratio refertur: Hic, gloria Dei. Subalternus verò, glorificatio nostri, qui sicut principali subordinatur; ita ad ipsam omnia præcedentia electionis beneficia respiciunt. Deniq; improprie omnia electionis beneficia:

cia:

cia. Electionis fines dici possunt: præcedens insequentis, materiale: insequens verò præcedentis finis dici potest; Monente Scholastico Thoma.

## THESIS X.

*Electi non tantum ad hos fines prædestinati sunt; verum etiam ad media ad fines hos ducenda: ac proinde sicut propter immutabilitatem electionis, necessario tandem saluantur electi; ita quoque propter eiusdem firmitatem, necessario ad illa media evadunt: per quæ ad fines illos manuducantur.*

I. Explico: Thesis de duobus admonet, de medijs glorificationis nostræ, & horum mediolorum necessitate. Sunt autem horum mediolorum duo genera: quædam simpliciter sunt omnia salvandis necessaria, etiam infantibus electis: quædam non omnibus simpliciter, sed solis adultis, ætate ac iudicio præditis.

In quibus medijs observandum, simul illa esse effecta electionis, ita inter se comparata, ut priora sunt causæ efficientes posteriorum. Denique disparitos sextæ Theseos & huius est notanda: hic de ipsis medijs & horum necessitate; illis de usu illorum in genere disputatur.

II. Confirmo: Cōfirmationem primam peto, ab inductione mediolorum duodecim, quorum hæc series, statuatur. Ordinar autem à summo ad imum.

Primam.



Primum, Electionis medium est, CHRISTVS  
Mediator, in quo electi, Eph. 1.9.

Secundum: Efficax ad Christum vocatio quæ à  
Iuis effectis agnoscitur, Rom, 8.30.2. Tim. 1.9. Du-  
o hæc media etiam infantibus, ad salutem, absolu-  
tè necessaria sunt: qui sunt modo ad Christum vo-  
cati sanctificantur & iustificantur spiritu ac san-  
guine Christi.

Tertium. Fides in Dominum Christum, sine  
qua nemo placere Deo potest. In infantibus etsi  
actus fidei non est; cognitio & fiducia Christi: ta-  
men spiritum & potentiam fidei habent, quæ suo  
tempore se exerant. Cor. 4.25, Phil. 29.

Quarum: Iustificatio, remissione nostræ iniu-  
stite atque imputatione iustitiæ Christi constans  
Rom. 9. Tit. 3.4.5.

Quintum. Sanctificatio interna: amor iustitiæ,  
atq; odium iniustitiæ. Nam in iustificatis mutan-  
tur affectus carnis, in affectus Spiritus, Roman. 8.  
vers. 2,

Sextū: Studiū bonorū operum. Eph. 1.4, 2.10.

Septimum: Inuocatio Dei in lucta & tentali-  
nibus. Rom. 8.26. Galat. 4.6.

Octauum: Perpetuum resipiscentiæ votum de  
commisissis peccatis cottidianis, iunctum deside-  
rio prociende in pietate, Roma. 7.14.

Nonum: Desideriū aduētus Christi. 2. Tim. 4.8

Decimum: Patientia in aduersis Roma. 8. 28.

Vndecimum: Certitudo victoriæ; Rom. 8. 3.

Duodeci-

Duodecimum: Donum perseverantiae. Ier. 32.  
Dabo timorem in, &c.

Secundam à notatione praedestinationis, quae est non solum finis, verumetiam mediolorum ad finem praeparatio: Omnia autem tam finis, quam media ad finem sunt effecta praedestinationis.

Tertiam: ab autoritate Augustini: Qui duobus libris de praedestinatione Sanctorum, & dono perseverantiae, eadem media, longa inductione recenset.

III. Illustro à contrarijs: Hinc facile dilui potest argumentum Libertinorum nostrorum. Argumentum. Praedestinatio est immutabilis.

§ 23 Ergo si sum praedestinatus, non possum perire, ut vixero.

Neganda consequentia, propter fallaciam divisionis. Media à fine nō sunt seiungenda: Talia, vocatio, fides, poenitentia, mortificatio veteris hominis, & vivificatio novi. Nam quos Deus glorificabit, illos & vocabit, & iustificabit: iuxta hanc regulam: Quicumq; ad finem & ad media finis, sunt praedestinati. Si credimus nos electos ad finem, & credemus nos electos ad media.

§ 24. Deniq; fallaciam non consequentis, in Argumento deprehenditis. Nam prima causa non tollit secundas, sed eas subordinat atque conseruat. Similiter colligere deberent, sibi neque comedendum, neq; bibendum; quoniam dies omnium constituit Deus, quos praeterire nemo potest.

est. Sic non nisi ex fide, resipiscencia, & fructibus resipiscenciae, vt subordinatis, ad electionis executionem, medijs, ad salutem, quæ huius decreti complementum est, peruenitur.

### THESIS XI.

**E**lecti & soli & omnes verè ac reipsa tandem, in hoc mundo, suo tamen tempore, de sua ad vitam æternam electione certi fiunt: tribus potissimum modis: contra quam Scholastici doceant; qui negare audent, ullam electionis certitudinem nobis constare posse, nisi ex singulari reuelatione diuina extraordinaria.

I. Explico: Thesis hæc certitudinem electionis monstrat à tribus modis.

Primus, Spiritus Sanctus: qui non solum nos regenerat, intellectum nostrum agnitione veritatis illustrando, atq; voluntatem immutando, vt benè & velle & facere incipiamus: verum & testificatur spiritui nostro, nos esse filios Dei: iuxta hoc dictum, Rom. 8. 15. 16. 17. Sed hoc testimoniū Spiritus est verissimum: Ratio: Est spiritus veritatis, qui scrutatur omnia, 1. Corinth. 2. 10. Est spiritus adoptionis, quo obfirmamur in diem Domini. iuxta hæc dicta Rom. 8. 9. 16. 2. Cor. 1. 22. Eph. 1. 13, 4, 30.

Secundus: Verbum Euangelij, quod propositionibus generalibus, testatur in cordibus nostris nos esse electos. Propositio: Omnes credentes sunt

E

electi.

electi. Iohān. 3. 6. Quā in cordibus suis, Pij non minus concludunt, se esse electos, quam ab hac generali propositione: Omnis homo est animal: cōficiunt singuli, se esse animalia rationalia. Maiorem ubique proponit Deus: Minorē reticet, quā iamē fide data efficit: Minor: At ego sum fidelis. Ergo, Deus dum testatur, singulos credentes esse electos, suam cuiq; electionem reuelat: Sicut improbis singulis suam damnationem denuntiat, hac propositione generali: Maledicti omnes, Deute. 27, vers. 26.

Dissimilis: At nemo scire potest se credere. Ergo nemo certus esse potest suæ electiōis ab hac nota. Responso: falsum antecedēs. Credens scit se credere, ac sentit fidem suā, nō minus quā cum credit homini, quem scit promissa facturū. Hinc fides vacatur, Elenchos, hypostasis, *πεποιθηνος & ἀναπροφροία* Ebrae II. 1. Col. 1. 2. Ephe. 3. Et Paulus: Explorate vosmeiplos, an sitis in fide. Ergo, credentes, suæ fidei sibi sunt quam certissimē cōscij, 2. Cor. 13. 5.

Tertius modus: Effecta Prædestinationis, tum interna, tum externa, à quibus ad causam assurgimus: & quibus, tanquam certis notis nos obsignatos, à reliqua fece mūdi discernit Deus: sicut sigillis, genuina ab adulterinis Ratio: Effecta hæc sunt effecta talia, quæ Deus in solis electis operatur: Itaq; sicut Deus ex alto, per causas medias ad nos descendit, ita nos ex effectis ad ipsum ascendimus:

dimus:

## NATIONE DEI

dimus: ab effectis regenerationis, ad iustificatio-  
nem, à iustificatione ad fidem, à fide vera ad vo-  
cationem efficacem, ab efficaci deniq; vocatione  
ad æternum Dei decretum de nobis seruanda:  
Sic Paulus ad Rom. 7. 24 docet, petendam certitu-  
dinem electionis nostræ, non ab illa profundissi-  
ma bysso diuini decreti, coprũ nostrũ superatis:  
sed à medijs, per quæ illud, nobis ab æterno ab-  
conditũ patefacit: Media: opera bona, sanctifica-  
tio, fides, vocatio: Hinc ad electionem, inde ad  
prædestinationem emergimus: in qua, de fixa an-  
chora, spe subiecti, tandem superatis omnium  
tentationum tempestatibus per Spiritum Dei, in  
portum glorificationis euadimus.

Deniq; decreta Dei, quæ vult ab hominibus  
intelligi, cognoscuntur; aut à posteriore: vt cum  
aliquid euenit, tũ intelligimus antea fuisse à Deo  
decretum: aut ab effectis causarum naturalium.  
vt: Austro flante colligimus, Deũ pluiam decre-  
uisse aut ex reuelatione ipsius vel vniuersali. vel  
indefinita, vel particulari. Decretum verò electio-  
nis ab electis agnoscitur bifariam: à posteriore, re  
ipsa, quando glorificati fuerint. Deinde in hac vi-  
ta, ex patefactione, partim generali, partim specia-  
li: illam, ministerium hominum externum: hanc  
virtus Spiritus sancti interna suppeditat.

II. Illustro à contrariis. Prædestinatio est in  
Deo, nõ in nobis. Sed nemo nouit quæ sunt Dei,  
1. Corinth. 2. 11. Roman, 11. 24. Ergo nemo certus

esse potest de sui electione, nisi per modos extraordinarios.

Respondeo per negationem consequentiae, propter fallaciam, non causae ut causae. Et si praedestinatio sit in Deo, tamen eam nobis varijs modis ordinarijs internè atq; externè ab effectis reuelat, à quibus certiores reddimur de nostra electione: iuxta haec dicta, 1. Cor. 2. 10. Nobis Deus reuelat per Spiritum Sanctum, Spiritus scrutatur omnia, vers. 12. Nos spiritum Dei accepimus, ut sciamus quae sit nobis Deus gratificatus.

Instantia. At effecta illa electionis nostrae, sunt in nobis languida: imbecilla fides: testimonium Spiritus Sancti saepè in nobis sopitum deniq; tentationis carnis magnae. Ergo.

Responsio. Neganda consequentia propter eandem fallaciam. Sufficit, electionis nostrae effecta esse vera, etsi sint languida. Sunt enim testimonia Spiritus Sancti in nobis verissima, perpetua, efficacissima, & immutabilia. Psalmus 77. ostendit remedium aduersus hanc tentationem.

II. Ecclesiastes ait: Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit. Ergo nemo de sua Electione certus fuerit: e. 9. v. 1.

R. Ne hic, vel cū vulgato interprete erretis, vel errandi occasionem, à Sophistis Pontificijs arripiatis, neganda consequentia. Cuius duplex ratio. Vna paralogismi, à dicto secundum quid. Nō absolutè, sed *κατὰ τὴν* loquitur Ecclesiastes. Nempe,

pe,

pe, neminem, ab externa rerum humanarum facie, vel de amore, vel de odio Dei, statuere posse. At sunt alia, à quibus certissime de electione, statuamus. Nam subiicit mox sui dicti rationem hanc: Eundem omnium hominum eventum esse: de sententia Epicureorum, qui ab externa rerum humanarum perturbatione providentiam Dei negabant. Denique, hæc doctrina Pontificiorum, fundamentum Religionis nostræ conuelleret: articulos fidei infirmaret, quibꝫ in Patrem, Filium, atque Spiritum Sanctum professi, remissionem, peccatorum, atq; vitam æternam credimus: proprietatē fidei tolleret, quæ *αληγοφωσία*: veritatē: diuinarum tum promissionum, tum minarum, negaret.

Sed alienior illa: verior solutio hæc, petita à fallacia figuræ dictionis. Rationes. I. Et barbara, & falsa est versio Veteris interpretis. Nam vera hæc: Tum amorem, tum odium nescit homo. Vbi nulla mentio; An dignus. II. Cōfunduntur locutiōes figuratę, cum propriis. Nam per amorem & odiū, non intelligit amorem vel odium Dei sed metonymicōs, res nostras externas, vel secundas, vel aduersas, quas providentiæ Dei subiectas ab arbitrio humano pendere negat, sicut a. v. g. liquet. III. Verbum Iathahh, significationem vtendi habet; Pto. Nescit vti; quam vim verbi probant exempla multa.

### THESIS XII.

E3

Chriꝫ

**C**HRISTIANI non solum tenentur credere pro mandato Dei se esse ad salutem æternam electos verum etiam iam de suis fratribus confidere, nec de reliquis hominibus desperare debent.

I Explico: Theseos membra sunt tria: unum de nobis: alterum de fratribus: tertium de extraneis.

II. Confirmatio primi membri, ab his rationibus petitur

Prima: Quisquis tenetur credere Euangelio & quidem toti. Marci. 1. At Euangelium iubet, ut non solum credamus, nos per & propter Christum iustificatos; verum etiam in eodem nos esse electos ad iustificationem & glorificationem. Minor hæc vera ab his rationibus & dictis. Scriptura Docet, Deum esse Patrem nostrum, qui nos elegerit: articulo primo symboli, quem Apostolus ad Ephes 1 explicat: Eadem subdit, Christum venisse & mortuum esse pro solis electis: iuxta hæc dicta Matt. 26. 28. qui pro multis effunditur. Iohan: 7. 9. Non rogo pro mundo sed pro credituris in me. Ebre. 9. 28. semel oblatus dicitur, ut multorum peccata tolleret. Rom. 5. 19 per unius obedientiam iusti constituentur multi; Eadem addit, vitam æternam dari solis electis Rom. 8. 30. Matth. 20. 25. quibus paratum datur. Matt 25. 34. regnum paratum a iactis fundamentis mundi. Eadem denique admonet, fidem esse donum electorum. Tit. 1. Acto. 13. 48 Ergo nemo potest credere  
neque



neque Euangelio, neq; in Deum Patrem, neq; in Filium, nisi simul credat, se esse ad vitam eternam electum.

Secunda: Aut de salute nos persuasos oportet esse: aut dubios; aut desperabundos: Sed hæc postrema sunt mala & periculosa. Ergo certos nos esse oportet de nostra electione: iuxta præceptum primum.

Tertia: Debemus benignè sentire de voluntate Dei erga nos: iuxta hoc dictum, Sapientia 1.1. Scitite de Domino in bonitate. Huc facit illa descriptio Dei quæ apud Mosen exstat. Exo. 34. 6.

II. Confirmatio secundi membri de fratribus ab his rationibus. Prima: sic caritas postulat, quæ omnia sperat: 1. Cor. 13. 7. Secunda: vocantur fratres nostri: vocantur electi: vocantur filij Dei. Eph. 1. 4. 1. Petri 1. 1. Ioan. 3. 1.

III. Confirmatio tertij membri. de extraneis ab his rationibus. Prima: à liberrima Dei voluntate: qua vocat, quando vult Ioan. 10. Secunda: à mandato Dei de precib<sup>o</sup> pro quibusvis. 1. Tim 2. Tertia: à possibilitate credendi: Etsi fides sit donum Dei, tamè possibilitas credendi ex natura humana per peccatum non est sublata, relictis facultatibus animæ rationalis, intellectu & voluntate.

### THESIS XIII.

**S**icut electi salute eterna excidere non possunt: ita neque fidem, neque Spiritum Sanctum

*Sanctum arbitrium electionis suae penitus unquam amittere possunt: etsi tentationibus grauioribus nonnunquam intercipiatur, & quasi sopiatur utrumq.*

I. Explico: Membra thesauri tria sunt: Vnum de firmitate salutis electorum: Alterum de perpetua perseuerantia Sanctorum in fide & Spiritu Sancto: Tertium de infirmitate electorum.

II. Confirmatio primi: Electos perire non posse, clarum ab his rationibus. Prima: ab officio Christi Mediatoris, cuius est electos custodire sibi datos, ne excidant. Iohan. 6. 37. Quicquid dat mihi, vers. 39. haec est voluntas. Iohan. 10. 27. Oves meas cognosco, vers. 28. 29. Secunda: à constanti & perpetua Dei voluntate erga suos electos seruandos, Ierem. 31. Caritate perpetua dilexi te. Ierem, 32. Feriam cum ijs pactum æternum, & nõ desinam ijs benefacere. Tertia: à constantia promissionum diuinarum. Matth. 24. impossibile est seduci electos. Quarta: ab adiunctis electionis. Est æterna & immutabilis electio. Rom. 11. 29. Dona Dei sine poenitentia.

Confirmatio secundi, de constantia fidei, & Spiritus Sancti in electis, ab his rationibus. I. Perire non possunt electi, ergo nec amittere possunt fidem, aut Spiritum Sanctum. II. Perpetua perseuerantia donatur soli ac omnes electi. 1. Cor. 1. 8. qui etiã cõfirmabit vos, Phil. 1. 6. & 29. III. A promissionibus Dei, Esai. 59. hoc foedus meum, cū ijs pangã:

pangā: Spiritus meus, ac verba mea nunquam re-  
 cedant ab ore tuo. Hic promittit Spiritum per-  
 petuum. Iere. 32. Ponam timorem in medio ipso-  
 rum, & dabo eis eor vnum, atq; animam vnam.  
 Hof. 2. Despōsabo te mihi in æternum. Matt 16.  
 super hanc Petram ædificabo. Iohan. 4. qui bibe-  
 rit ex aqua hac: vers. 6. qui manducat carnē meā.  
 IV. A precatione Christi, Iohan. 17. Sed precatus  
 est ne desinat fides nostra. Lucae 22. V. A preca-  
 tione Sanctorum: quidquid petunt, impetrant:  
 Matt. 21. Sed petunt perpetuam perseuerantiam.  
 VI Si fides posset deficere, esset temporantia: sed  
 vera est constans. Matth. 13. VII. Ab effectis fi-  
 dei: si fides tota posset amitti, possent omnes fidei  
 effectus: Sed falsum hoc. VIII. A remotione illius  
 peccati, propter quod solum, fides amittitur. Sed  
 illud in fideles non cadit. 1. Iohan. 3. Renati non  
 peccant: quia semen Dei manet in ipsis. 1. Iohan. 5.  
 Nō peccant ad mortem. IX. Ab officio Spiritus  
 Sancti, à quo reguntur perpetuo ductu. Roma 8.  
 X. Ab epithetis Spiritus Sancti: qui Spiritus a-  
 doptionis, arrhabo hæreditatis: Spiritus qui nos  
 biscum in æternum manet. Rom. 8. 2. Corin. 1. E-  
 phe. 1. XI. A similibus, fideles comparantur ar-  
 boribus plantatis ad riuos aquarum. Psalmi. 1. Cō-  
 parantur bonæ terræ. Matth. 13. dicuntur templa  
 Spiritus Sancti. 1. Cor. 3. 16. XII. Ab exemplis: Da-  
 uid in grauissimis tentationibus, neq; fidem, neq;  
 Spiritum Sanctum penitus amisit. Psal. 51. Ergo,

Confirmatio tertij membri, de perpetua infirmitate electorū in hac vita, est manifestior à priorū luctu atq; gemitu cottidiano, quam ut rationibus opus habeat: de qua, in Anticastellione nostro.

III. Illustro à contrarijs. At qui stat videat, ne cadat, inquit Apostolus. Christus parabolam ducit ab his, quorum posteriora facta deteriora prioribus. Petrus de poenitentis illorum loquitur, qui ad vomitum redierunt, 2. Pet. 2. Et Paulus de illis qui à fide exciderunt, 1. Tim. 4. 1. Ergo fides & Spiritus amitti possunt.

Responsio: Neganda consequentia propter fallaciam ab ignoratione Elenchi, in dictis perpetuam allegatis atq; cōfusus. Principio fatemur sæpè interrumpi fidem & quasi sopiri, quod ad effectus: sed ipsa quasi scintilla sub cineribus defossa, tandem à Spiritu sancto, suo tempore, tanquam flabello excitatur: sicut Ebriis euigilantibus non mens, quæ nunquā fuit intercepta, sed usus mētis restituitur: Neq; enim Deus opus suum vnquam deserit. Psal. 138. 2 Neq; suos ultra vires tentari patitur. Cor. 10. 13: quos perseverantia etsi nonnunquam interrupta, donat: quibus etiam media statuit, per quæ restituatur lapsi. Hæc spectant illæ exhortationes & exempla; non ut doceant, Electos fidem & Spiritum Sanctum amittere posse: sed ipsos ad salutem per hæc media deduci. Cæteros verò qui exciderint, fide fuisse præditos *πεσοὺν αὐτῶν*: alias sequeretur, mutabile esse cōsiliū Dei, aut à nobis

bis

bis suspensum, ut fidem non esse donū electorū.

II. At David dicit. Ne abijcias me à facie tua & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Ergo auferri potest Spiritus sanctus. Psa. 5. 13. Ratio. Frustrà diceret ne auferas, nisi auferri posset.

Responsio: Ad consequentiam, quæ neganda: Nam admittitur insulsus Paralogismus ineptissimorum Theologorum, quem pueri vocant fallaciam figuræ dictionis, Falluntur enim hi Theologi terminatione modi deprecatiui Rationes negationis sunt hæc: I. His deprecationibus non docet David, Spiritum sanctum & fidem amitti posse sed contra petit perseverantiam horum donorum; editq; confessionem sui reatus atq; metus: qua fatetur se iuste promeruisse orbitatem horum donorum. Deniq; respiciens in semetipsum, mutabilem, agnoscit, posse illa dona respectu nostræ infirmitatis excuti, quæ tamen impossibile sit amitti, propter immutabilitatem electionis diuinæ. II, Ab exemplo, si David in illis grauissimis suis tentationibus adulterij atque homicidij, de quibus loquitur, non amisit Spiritum Sanctum, neq; fidem: fides & Spiritus Sanctus, nequaquam in tentationibus prorsus amitti possunt. Sed non amisit illa dona: Ratio minoris. Precatur enim ne auferatur Spiritus Sanctus, Ergo, nondum amiserat. Adhæc David hoc Psalmo nusquam petit sibi restitui Spiritum Sanctum & fidem: sed sola effecta Spiritus Sancti, & fidei, quorum plurima amiserat

amiserat: qualia per inductionē hęc enumerat, remissionem peccatorum, gaudium & lætitiā bonæ conscientię, munditiā cordis, fiduciam electionis, denique robur Spiritus sancti firmi, atq; gratiarum actionem, præstantissima dōa fidei ac Spiritus sancti. III. Ab absurdo: eodem argumento probarem, Electos reprobari posse: quia simul precatur: Et ne abicias me à facie tua, quod est reprobari. Sed hoc absurdum. IV. Alibi docet, electos palmis similes esse, & ob id Spiritum Sanctū non posse, ipsos amittere. V. Nos abundē suprà demonstrauimus, Spiritum sanctum amitti non posse, etsi effecta Spiritus multa sæpenumerō amittantur.

#### THESIS XIV.

**E**ST autem reprobatio altera prædestinationis species, qua ad mortem æternam, iustè prædestinati sunt, quotquot damnatur.

I. Explico: Descendo nunc ad alteram speciem prædestinationis, reprobationem: quam in genere definitam in duo membra, tribuo: definitum ac ipsam definitionem.

Definitum, reprobatio: significat autem reprobare, rem vt indignam reijcere atq; damnare: sic reprobum est reiectum atq; improbum: iuxta hęc dicta, 1. Cor. 9. 27. Ebr. 6. 8. 1. Pet. 2. 7.

Sic accepta vox tria significat. I. Reiectionem à gratia electiōis, effectis atq; ipsis finibus gratiæ,

II. Re

II. Reiectionem ad vsus non honestos. III. Destinationem eorundam ad mortem æternam.

Est autem reprobatio duplex: æterna & temporalis: Æterna qua Deus à vita æterna reiecit, quos voluit iustissime: sic reprobi, qui à participatiõe salutis æternæ, à Deo simpliciter antè cõstitutiõem mundi sunt abdicati, 2. Cori. 13. 3. nisi estis reprobi. Temporalis, qua aliquis vt indignus à munere aliquo mouetur: Sic 1. Cor. 9. 27. Ne quum alijs predicauero ipse reprobus fiam. Definitio reliqua ad Romanos. 9. exstat.

II. Confirmo: Huc pertinet quæstio hæc. An reprobatio Dei conueniat: quam Aquinas motam, articulo. 3. affirmat his rationibus. Prima: ab autoritate scripturæ, Mal. 1. 2. Esauum odio habui. Altera: à genere. Cum ad diuinam prouidentiam pertineat, aliquos permittere à vita æterna deficere ad eãdem pertinet aliquos cõsequenter reprobare. Itẽ: ad Deum pertinet ordo hominum ad finẽ: sicut autẽ electio est pars prouidentiaẽ, respectu illorum qui diuinitus ordinãtur ad salutem: ita reprobatio est pars prouidentiaẽ, respectu illorũ qui ab hoc fine decidunt.

III. Illustro à contrarijs locis, qui negare reprobationem videntur.

I. Vrgere reprobationem, qua dicatur, esse quosdam ad mortem æternam reiectos, est crudelitatis notam Deo inurere, atque clementiam ipsius

sius

ius negare. Ergo aut ab hac doctrina est abstinendum, aut supponenda vox praescientiae.

Responsio per negationem antecedentis. Negamus scruam & crudelem esse vocem reprobari- nis: quia affirmamus quosdam esse à vita aeterna reiectos: Rationes negationis hinc sex do.

Prima: ab autoritate scripturae: Scriptura sic loquitur, Ergo non est genus dicendi durum atque crudele, iuxta haec dicta, Mal. 1. 2 Deus Esauum odisse dicitur Rom. 1. 1. dicitur repulisse populum suum, Rom. 9. 22. dicitur vasa irae coagmentasse ad interitum. Rom. 9. 8. dicitur Deus ipsos indurare. Pro. 16. 6. dicitur impium creasse ad diem malum. Prou. 21. dicitur mouere corda impiorum ad mala. Mat. 6. dicitur inducere in tentationem. Esaie 6. dicitur excecere. Iohan. 17. 12. dicuntur reprobi filij perditionis. 1. Cor. 1. 18. dicuntur appolymeni. 1. Pet. 2. 8. dicuntur conditi ad inobedientiam. 2. Petri 2. facti in capturam. 1. Thes. 5. 4. dicuntur positi ad iram. A Iuda veis 4. dicuntur proscripti ad iudicium. Sed haec omnia sunt coniugata, re. Atque sic eos dici non est crudele. Ergo, neque reprobatos à vita aeterna, erit crudele dictum.

Secunda ab absurdo: Si improbi contra destinationem Dei pereunt, sequentur haec absurda. Deum vel sibi non proposuisse certum finem in condendis hominibus: cum tamen finis, sit primus in intentione agētis; neque quā sapientis neque potētis effect: vel Deū saltē in euentū incertū, sibi finē

pro.



propofuiffi, qui penes lutū nō figulum efferet: vel Deum mutare confiliū cognita voluntate fui oppoficij, vel ab arbitrio huius fufpenfam effer voluntatē Dei, Sed hæc funt abfurdæ: Effer enim Deus fapientiffimus, omnipotentiffimus & immutabilis; qui in agendo neq; certū finem præterit, neque à cōfiliio femel capto difcedit: Ergo & falſum illud.

Tercia à relatis: Quoties Spiritus S. meminit electorum, toties etiam prædeſtinatio reproborū cōfirmatur: cum lex oppofitionis poſtulet, vt aliis quibus ad vitam electis, reliqui intelligantur reprobatifunt enim hæc *ἐκ τῶν πρὸς τί.*

Quarta à contrarijs. Si vafa gloriæ prædeſtinata ad gloriam, poſtulat contradictionis oppofitio, vt vafa iræ dicamus prædeſtinata ad mortem. Roman 9: 21. aliud vas ad decus, aliud dedecus faciat 2. Tim. 2. 20. Cæterum in magna domo.

Quinta à minoribus. Non cadit capillus de capite noſtro fine voluntate Patris. Matt. 10. 29. Ergo non poteſt tanta hominum multitudo citra & contra voluntatem Dei perire; quod effer negare primum articulum fidei: Credo.

Sexta Vox præſcientiæ non minus rationem cauſæ habet, quam reprobatio: Nam Apoſtolus in illa enūeratiōe cauſarū ſalutis & *πρὸς γένεσιν* pōit. Rō. 8. 30. Lucas Acto. 2. 23 *πρὸς γένεσιν* ad cauſæ mortis Chriſti refert, atq; homicidij à ſceleratis Iudæis admiſſi.

II. Si Deus reprobat, effer cauſa exitij reproborum

rum

rum: Sed reprobatur secundum vos: Ergo causa exitij reprobatorum.

Responsio: Neganda consequentia: propter fallaciam à non consequenti. Non enim est sufficiens enumeratio causarum in praemissis: Omittitur causa proxima eaque propria exitij reprobatorum: ipsa peccata reprobatorum: ubi confusio decreti & executionis. Et si nemo damnatur, nisi quem Deus exitio destinavit: tamen, nemo damnatur, nisi qui iustas damnationis causas in sese habuerit: decretum verò reprobationis est quidem causa exitij reprobatorum, sed neq; propria, neq; proxima, neq; sola. Semper enim inter decretum & executionem decreti, quae mors aeterna, intercedit peccatum hominis; quos vel quibusvis etiam querulis os obstruit: iuxta haec dicta: Vnum Amosi: Non est malum in ciuitate, quod non faciat Dominus. Alterum Hoseae: Perditio tua ex te Israel.

### THESIS XV.

*Efficiens impulsiva reprobationis causa, & absoluta & sola & tota haec, aeternum liberrimum, atq; iustissimum propositum diuinæ voluntatis: quo sicut Deus quosdam in Christo misericorditer elegit, sic eodem reliquos iuste reprobauit: ut quicumq; ad mortem aeternam reprobati sunt, non propter ullam indignitatem, aut infidelitatis, aut aliorum peccatorum praesensam, sed duntaxat propter solum beneplacitum Dei iustissimum, &*

*vita*

NATIONE DEI.

81

*vita aeterna reiecti sint: secus quam Pelagiani, & Semipelagiani sentiunt.*

I. Explico: Membra Theses sunt duo: vnum, *negatio verae* veram reprobationis causam affirmat, voluntatem Dei liberrimam, qui ius absolutum in omnes creaturas habet, alterum *negatio verae* falsam negat.

II. Confirmo veram, in absoluto Dei proposito, defixam: ab his rationibus.

Prima: Prædestinatio est simplex & absoluta, facta sine vlla conditione meritorum præuisorū Ergo & reprobatio, vt supra demonstratum est.

Secunda: Reprobatio est æterna: Ergo non pendet ab vllis nostris operibus tēporalibus. Mat. 25, vers. 45, Ignis æternus, qui, Rom. 9. 11. nondum natis, vbi omnis existentiae ratio excluditur.

Tertia: Si peccata essent causa reprobationis, sequeretur, omnes homines esse reprobos. Sumus enim omnes natura filij iræ. Eph. 2. sed hoc absurdum: Ergo falsum illud.

Quarta: Scriptura excludit opera mala ab causis reprobationis Rom. 9. 11. Cum nihil fecissent mali: vbi omnis indignitatis ratio excluditur.

Quinta scriptura reprobationis causam vnicam monstrat, *negatio* Dei, quam nunc voluntatem, nunc potentiam, nunc iustitiam vocat. Iuxta hæc dicta Rom. 9. 11. vt propositum Dei firmum maneret, dictum est, Esauum odio habui, vers. 17. In hoc excitavi te, vt, vers. 18. quem vult indurare

F

ver

vers. 19. volūtati eius quis restiterit, vers. 20. nūm  
dicit vers. 21. an non habet potestatem figulus &  
vers. 22. & 23.

Sexta, ab auctoritate noni capitis ad Romanos,  
quod argumenta varia ad cōfirmādū suppeditat.

I. Ab ipsa capitis propositione generali: cuius for-  
ma Prædestinatio tum Gentilium electorum, tum  
reprobatorum Iudæorum non pender ab ullis præ-  
uisis operibus, vel bonis, vel malis, sed ex sola libe-  
raq; voluntate Dei: sicut constat à conclusione, v.  
13. Itaque quem vult, indurat aut miseratur.

II. A duobus exemplis Reprobatorum: Formæ:  
Ismael Isaaci frater eodem Patre in lucem editus,  
fœdere & circumcissione externa sanctificatus re-  
probatur, vers. 7. 8. 9. Sic Esauus primogenitus ex  
duobus fratribus in quibus reliqua erant paria, re-  
probatur, v. 10. Ergo reprobationis sola causa est  
voluntas Dei.

III. Ab occupatione prima: Et ne quis obiicere  
posset: Esauum malitia sua reprobationē promerū-  
tum esse: diluit v. 11. nondū natis, cum nihil boni  
aut mali fecissent: vbi omnis existentia & indig-  
nitatis ratio tollitur.

IV. Ab occupatione secunda. Cum videret Apo-  
stolus prudentiam Mūdi, contra superiora exēpla  
argutari posse; his verbis: Qui paribus imparia  
tribuit, is est iniustus, v. 14. ipse obiectionē diluit,  
à liberrima Dei voluntate, & absoluta in omnes  
creaturas potestate. Forma responsionis: Qui liber-

TIBIUS

rimus est & absolutissim⁹ omnium Dominus, quiq; nihil vlli creaturæ debet, is nō potest esse iniustus, si reprobet quem velit: Talis Deus, v. 15. 16. 17, Vbi minorē probat ab autoritate Moſis duplici: à qua misericordiā & indurationem, iustas executionis suæ cauſas, tum in electis, tū in reprobis notat: quæ Deum facile ab omni iniustitiæ calumnia defendunt. Frustrā autem sibi obiceret hanc iniustitiæ reprehensionem, si Deus vnum quemq; pro meritis tractaret: Potuisset enim dicere, quid tu Deum iniustitiæ accusas, qui singulos pro meritis tractat; Sed non frustrā. Ergo reprobatio non constat meritis malis.

V. Ab occupatione tertia. Cum videret Apostolus prudentiam carnis latius respondere, & ex præmissis concludere posse: Deum iniuste pœnas de peccatoribus sumere: si pro sola voluntate sua absoluta reprobaret, vers. 19. ipse antecedentibus concessis, solam consequentiam negat, tum allato exemplo à figulo, tum auersione interposita; qua, audaciam & superbiam hominum blasphemiam, in obtrectandis iudiciis diuinis compescit; atque docet, simul ac nobis de voluntate Dei confiteri acquiescendū esse. Frustrā autem sibi hanc obiectionē opponeret, si ex præuis peccatis manaret reprobatio. Quorsum enim diceret, quid adhuc succenset? cū vno verbo obiectionē rejicere posset. Quid tu hæc obiicis, cum neminem reprobet Deus, nisi propter opera mala. Sed non fru-

strā: Ergo non ex operibus malis reprobatio. Vbi obiter notanda omnis cōtrouersia, in hac doctrina; causa, nempe superbia hōinū, quæ suā stultitiā addicta, humano iudicio, iustitiā Dei iubeere audet: Nam homines Deum non posse crimen crudelitatis effugere putant, si dicatur agere ex voluntate, cui resistere nemo possit. Est ἀνταρθεσιανότης nō simplicis negationis, sed pertinacis superbiæ, quæ allatis rationibus iustis non acquiescit. Nam de Dei voluntate iusta verum illud: Sic volo, sic iubeo.

VI: Ab ipsa conclusione, vers. 18. cuius vult miseretur, quem vult indurat.

VII. A. finibus, qui quæuis merita excludunt, vers. 22, 23.

VIII. Ab exclamatione illa Pauli Rom. II. vers. 3. quæ docet, decreti κύριον αἴτιον, esse meram Dei voluntatem, quæ iustitiæ omnis norma, eandem medijs causis tribuat.

IX. Ab autoritate Augustini, Patres etsi mirabiliter variant in prodenda causa reprobationis: tamen Augustinus, post diligentiorē ἐρευνῶσθαι scripturæ, opera excludit, atque iustitiam, iudiciumque Dei occultum ponit: vt liquet ab his locis: Contra Iulianum Pelagianum. In vna eadēque causa, alius relinquitur, iustitia iudicante, non fato: alius assumitur, gratia præstante nō merito. Sic cap. 99. Enchiridij. Epist. 105 ad Sixtum. Hunc puriores Scholastici secuti, idem sensisse videntur.

dentur Lombardus lib. i. d. 40. 41. Aquinas p. i. q. 23 Art. 3 Sicut prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam: ita & reprobatio includit voluntatem permittendi: vbi postremum permittendi timidius.

Lutherus, eandem causam contra Erasmus defendit grauissimè: Verba. Voluntas maiestati ex proposito aliquos reprobat, ac relinquit vt pereant. Nec nobis quærendum est, cur ita faciat: sed reuerendus Deus qui talia & possit & velit. Multa Deus vult quæ verbo suo non ostendit se velle: sic non vult mortem peccatoris; verbo scilicet, vult autem illam voluntate sua imperscrutabili. Nunc autem expectandum nobis est verbum, relinquenda illa voluntas imperscrutabilis: satis est nosce, quod sit quædam in Deo voluntas imperscrutabilis, cum Deus habitet lucem inaccessam.

II. Illustro à contrarijs. I. Si pro reprobationis decreto statuatur mera Dei voluntas: & huius decreti euētus sit necessarius: Ergo & damnationis & omnium malorum, quæ sunt causa damnationis, auctor erit Deus. Fit fallacia non causæ vt causæ. Erroris causa, quod decretum cum executione confundunt, causas easdem vtriusq; somniantes. Et si enim decretum de seruando, & de perdendo, à sola voluntate oriatur, tamen decretum hoc equissimis medijs ac modis exequitur Deus: salutis per misericordiam & satisfactionem Christi mediatoris: perditionis, per culpam

& iniustitiam propriam reprobatorum. Hæ causæ proximæ omittuntur: à quibus damnatio, & omnia mala reprobatorum fluunt.

II. Impii propter opera mala damnantur; Ergo etiam propter peccata damnationi prædestinantur. Matt. 25. 42, Roman. 2. 6 &. Negandi consequentia propter fallaciam ab ignorantione Elenchi Confunduntur dissimilia. Ratio: Etsi opera mala, causa sunt damnationis, non tamen reprobationis. Huius enim monstratur longè diuersa à Spiritu sancto, sola Dei voluntas. Negamus etiam ipsa peccata esse totalem damnationis causam: etsi per se sufficiant ad damnationem. Præcedit enim decretum Dei, quo ad interitum aptati: Nam si totalis essent peccata, omnes essemus perditii; quia omnes natura peccatores. Atq; in die iudicii, afferet causam damnationis quidem Christus proximam, quæ tollat impiis omnem excusationem: sed æternū decretū de reprobis damnandis, non dissimulabit: Abite à me in ignem æternum.

III. Promissiones Dei sunt vniuersales: Vocatio Dei est generalis: Missio Filii Dei est promiscua: denique mandatum de credendo est generale, iuxta hæc dicta. Marci 16. 17. Roma. 1. vers. 16. Roman. 6. 18. 1. Iohan. 2, 2. Ergo non sola voluntate Dei, constat reprobatio. &. Per negationem antecedentis, quod falsum. Ratio: Neque promissio Dei, neque vocatio, neque exhibitio Christi est vniuersalis, sed in definita, certarum circumstantiarum



tiarum exclusarum respectu . id quod inductione  
 monstrō. Principio: Promissiones etsi omnibus  
 proponantur, non tamē ad omnes pertinēt, sed ad  
 solos electos. Nam in credentibus solis suum con-  
 plementum habent. At fides non est omnium, sed  
 solorum electorum. Titī 1. vers. 1. 2. Thessa. 3. 2.  
 Secundo: Neque vocatio generalis est, siue inter-  
 nam siue externam spectes. Internam negat vel  
 hoc vnum dictum Christi Iohā 6. 44. Nemo po-  
 test venire ad me, nisi pater traxerit illum: Exter-  
 na cum sit duplex: neque naturalem, quæ docet,  
 το τε θεογνωστου promiscuam esse, docet intem-  
 pestiua mors infinitorum hominum: neque spi-  
 ritualem omnium communem esse, factam per  
 prædicationem verbi, docet experientia, secundū  
 sacras literas: cum non omnibus Christus annū-  
 tierur. Tertio: Neque Christus mortuus nisi pro  
 electis: in quos solos redundat iustitia Christi:  
 iuxta hæc dicta, Iohan. 11. vers. 51. & 2. Iohan. 17. 9.  
 Roman. 5. 19. Ebre. 9. 28. Quarto: Etsi mandatum  
 de credendo sit generale, tamen fides non est om-  
 nium: & ipsa cum sit donum electionis: & infide-  
 litas consequens quoddam reprobationis, non se-  
 quitur à conditionibus credendi, vel non creden-  
 di pendere prædestinationem, nisi velimus admit-  
 tere Paralogismum non causæ vt causæ.

Instantia: Ergo in Deo sunt contrariæ volun-  
 tates, quod est dissimulatis: Nam vocat nonnul-  
 los, quos tamen seruos non vult: cum tamē vo-

ratio sit certum testimonium voluntatis diuinæ de seruando. *Ex.* Neganda consequentia propter fallaciam non causæ vt causæ. Vnius rei plures fines esse possunt. Vocat externè, non tantum vt saluet: verum vt reprobos iusto iudicio reddat *ἀναπολογήτους*, atq; in ipsos propriâ pertinacia induratos, suæ terribilis seueritatis iustissimum exemplum edens, suam erga electos infinitam bonitatem magis declaret. Deindè assumptum falsum est: Non omnis externa vocatio est necessarium testimonium diuinæ electionis: iuxta illud Christi, Multi vocati, pauci electi. Aliàs, vel inuito Deo perirent; vel ipsos, mutata voluntate tandè damnaret; Vel exitus decretorum diuinorum non à volūtate Dei immota, sed ab arbitrio hominum penderet, quo irrita vel rata facerent decreta Dei: Sed hæc absurda. Ergò,

IV. Eadem est Dei voluntas erga omnes. Rationes. Deus est Pater omnium; neq; vllus perit, nisi suo vitio. Responsio triplex. I. Per negationē antecedentis. Negamus, eandem esse Dei erga oēs volūtatē. Deus enim alios eligit, alios reprobauit. Mal. i. Vult electos ab æterno eōstāter seruatos, & perire reprobos; Hinc vocantur filii perditionis, *ἀπολλυμενο*, præparati ad interitum, facti ad capturam & perditionē, reprobis, II. Deus Pater omnium, sed modo inæquali. Omnium, prouidētia generali, quatenus omnibus benefacit. Actor 14. 17. Speciali, duntaxat eorum, quos in foedus recipit; Sic

Sic Pater Hebræorū : Modo deniq; specialissimo, quos in Christo renatos ab æterno elegit : En homonymiam. III. Solo vitio suo perire impios falsum est. Et si peccatum sit propria & proxima causa exitii reprobatorum, non tamen tota ; non enim pereunt sine voluntate Dei: iuxta illud Matth. 10. 29. Si capillus non cadit in terram sine voluntate Patris, multò minus tanta hominum multitudo, citra & contra voluntatem Dei perire poterit: nisi velimus negare articulum primum de omnipotentia Dei: Deniq;, aliud quærerere de causis damnationis, aliud de causis reprobationis.

V. Deus vult omnes homines saluos fieri. Ergo nemo voluntate Dei reprobatus est, iuxta hoc dictum Pauli. 1. Tim. 2. v. 4.

R. Neganda consequentia propter paralogismū Homonymias duplicis. I. Vox omnis vel est vniuersalis & significat singulos generum vel indefinita, seu collectiua & significat gēera singulorū, quæ excludat certas circumstantias personarum : sic hanc homonymiam notat Aristoteles 2. *πολιτικῶν*. Hoc loco indefinitè capitur pro generibus singulorum. Hoc sensu: Deum velle ex quibusvis hominum ordinibus quosdam saluos.

Confirmationem interpretationis subiicio.

Primam : A circumstantiis textus ad Timoth. Vult orandum esse pro quibusvis, enim pro tyrannis. Hos vult saluos fieri, quos vult ad agnitionē

F S

veritatis

veritatis v̄ere: Quæ ἐξ η̄γετικῶς subiiciun-  
tur: Sed fides nō est omniū, quæ est cognitio veri-  
tatis. Idē docet ratio ducta à missiōe filii, qui pro  
solis electis semetipsum dedit Ioha. 17, 9. Deinde  
si vellet Deus omnes vniuersaliter saluatos: se-  
querentur hæc absurda: Deo inuito quosdam pe-  
rire: Deum velle omnes homines etiam in incre-  
dulitate, ad extremum manentes saluari. Deniq;  
errores Pelagii: esse in potestate hominis credere,  
vel non credere: non omni ex parte gratuitam ef-  
se salutem nostram: gratiam credēdi, singulis hos-  
minibus offerri: tot contra miryadibus tum in-  
fantium, tum aulorum ex hac vita excedētibus,  
priusquam de Christo audiant.

Secundam: A locis similibus. Matt 8, vers. 16.  
Matth. 9, vers. 36. Roman. 5. Vbi vox omnis inde-  
finite capitur.

Tertiā: Ab auctōritate Augustini, qui c. 103. En-  
chiridii ait. Cum audimus dici. Deus vult, omnes  
hōines saluos, necesse est, vt oēs homines, omne  
genus hominum intelligamus, per quascunq; dif-  
ferentias distributum: reges, priuatos, nobiles, ig-  
nobiles, sublimes, humiles, doctos, & uites, paupe-  
res, iuuenes, senes, mares, fœminas, pueros, adolef-  
centes, in linguis omnibus, in moribus omnibus,  
in professionibus omnibus. Sic Thomas Aquinas  
interpretatur. p. p. q. 19. a. 6:

II. Deinde verbum, Vult, vel significat volun-  
tatem Dei arcanā vel reuelatam: Si de arcana in-  
telligas,

tellegas, tunc de solis electis locus intelligendus, quos solos Deus vult saluos: Sin verò de reuelata, tunc est promissio conditionalis: Eatenus enim vult omnes saluos, quatenus ipsi velint credere, & resipiscere: Clarius: Voluntatis nomine, duo notantur: Interdum quod Deus decreuit; quã voluntate nemo potest infringere: Interdum quod Deus sua lege præcepit, cui Satanas ac reprobi resistunt: Quod discrimen, qui non obseruant, in magnos errores incurrunt, atq; in calumnias incidunt, quibus nugantur nos pugnantes Deo voluntates asserere. Volentes signi à voluntate beneplaciti distinguenda. Simile iudicium feratur de locis duobus hisce Ezech. 18. 5. Pet. 3. v. 9.

VI. Reprobatio pugnat cum bonitate Dei: tot nempe homines pro solo beneplacito reprobari ad mortem æternam.

¶ Negatur antecedens. Negationis rationes sunt tres. I. A voluntate Dei: Quidquid Deus vult id est iustũ & bonum & optimè, cum natura Dei cõuenit. Nam ideò bonũ, quia vult. Sed vult multos esse vasa iræ, facta ad interitum. II. A sapientia Dei: Pertinet ad sapientiam Dei, efficere, vt sint varia hominum genera in mundo, quibus vel suã misericordiam, vel iustitiam cõmunicet: quæ non pugnat cum bonitate Dei. III, Ab exemplo figuli, cuius cum natura non pugnat: si alia vasa ad decus alia ad dedecus comparet.

VII. Eligere & amare gratis licet: odisse non licet.

ect.

cer. Ergo reprobationis causa impulsiva, non est  
 sola voluntas, &c. Fit fallacia Homonymias. Ve-  
 rum est hoc de reali reiectione: Nā aliud destinare  
 odio, aliud re ipsa odisse. Odit Deus re ipsa repro-  
 bos propter peccatum, quod intercedit inter decre-  
 tum, & executionem decreti: odio verò destinavit  
 propter voluntatem solam. Nostri verò aduersa-  
 rii, decretum Dei, cum eius executione semper  
 confundunt, non sine maximo erroris periculo.  
 Obseruandi praedestinationis gradus tres: decre-  
 tum ipsum, causae mediae, quibus decretum suum  
 exequitur Deus: Et realis executio. Sic in eligen-  
 do non potest esse iniustus: cum inter decretum  
 electionis, & realem electionem, intercedat mise-  
 ricordia Dei, & iustitia Christi: Nec in reproban-  
 do, cum inter decretum reprobationis & realem  
 reprobationem, intercedat iniustitia reproborū,  
 atque induratio. Aliud quaerere de decreto & eius  
 causis, aliud de executione & huius causis: De-  
 creti, sola Dei voluntas. Causas executionis pate-  
 factas & verbo & experientia, & sensu conscien-  
 tiae, edidit Paulus Rom. 9. 15. & 18.

VIII. Reprobatio pugnat cum amore Dei, iuxta  
 illud. Sapien. 11. 25. Diligis omnia, & nihil odisti  
 eorum quae facis. Ergo nullam hominem repro-  
 bavit. & duplex. Prima, per negationem antece-  
 dentis. Diuersa & subalterna non pugnant in Deo.  
 Altera: Dictum Sap. habet fallaciam à dicto se-  
 cundum quid. Deus diligit omnia, sed nō eodem  
 modo

## NATIONE DEI.

modo amoris. Generaliter diligit, quatenus ut creator benefacit omnibus. Specialiter verò diligit, quatenus aliquibus vult illud bonum vitæ æternæ, quod non vult omnibus; Nam dicitur quosdã odisse: neque omnes qui sunt semen Abraham, sunt etiam filii. Aquinas articulo 3. sic soluit. Diligit omnia, in quãtum omnibus vult aliquid bonum, non tamen quodcunque: in quantum quibusdam non vult bonum vitæ æternæ, dicitur eos odisse vel reprobasse.

**IX** Inquit Hoseas: Perditio tua ex te Israel, cap. 13. 9. At esset hæc ex Deo, si ad mortem æternam impios prædestinasset.

**R.** Negãda consequentia propter fallaciam non causæ ut causæ. Duplex causa perditionis impiorum: vna proxima, altera remota deficiens: proxima, peccatum, per quod mors mundum intrauit. Hæc in ipsis hominibus hæret, qua pereunt: de qua Propheta loquitur. Remota perditionis causa, est voluntas Dei æterna, omnipotens & iustissima, qua plurimos morti destinavit. Matth. 10. vers. 24; Roma 9. 18. 1. Petri 3. 17. dicitur esse voluntatem Dei, ut bene agentes malis afficiamur; Atque bene agens lædi absque peccato non potest. Adde hanc rationem: Si Deus nollet, nemò periret nisi velimus negare omnipotentiã. Aquinas ad hunc locum articulo 1. sic respondet: Electio est causa eius, quod expectatur in vita futura à prædestinatis, gloriæ nempe & eius quod percipitur in presenti.

senti

fenti gratiæ. Reprobatio non est causa eius quod est in præfenti. i. culpæ: est tamen causa eius quod red- ditur in futuro. id est pœnæ æternæ. Culpa vero à libero arbitrio eius, qui reprobatur: secundum hoc dictum Prophetæ verificatur: Perditio ex te Israel.

X. Deus iubet vt resipiscamus & idem reproba- uit, ne resipiscamus. Ergo est auctor peccati.

& Neganda consequentia, propter fallaciam vel non causæ vt causæ, vel ab ignoratione Elen- chi. Principiò in iis iudiciis, quæ sunt abyssus mul- ta, non est audienda prudentia carnis nostræ: sed sequendum Dei verbum, quod omnes ad pœni- tentiam hortatur. Deinde non pugnant duo hæc in Deo. Nam scriptura vtrumq; docet: & Deum quosdam reprobasse & eundem resipiscentiã om- nibus mandare. neq; tamen peccati auctorem ex- istere. Sin verò hic, prudentia carnis obtrectauerit: obiiciendum illud Pauli. O homo, tu quis es, qui responsas Deo?

Instantia: Deus vult reprobos perire: idem vult vt conuertant se ad resipiscentiã. Ergo contra- rias sunt voluntates in Deo: vna generalis, qua de- creuit, altera specialis, qua vel mandat vel vetat, vel probat. Neganda consequentia propter falla- ciam ab ignoratione Elenchi R. Non in volunta- te est ista varietas & multiplicitas, sed in rebus vo- litis, quæ etsi sint innumerabilia, tamen nõ mul- tiplicant voluntatem Dei. Sic cum vult pugnan- tia in iis quæ vult, repugnantia inuenitur. Quod

li hic



si hic, ratio. nasum rugeat, cum audit Deum quædam velle per verbum fieri, & talibus tan en verbis nihil efficiat, cū voluntas sese in vtramq; partē vertere nequeat, sed tota à virtute Spiritus S. pēdeat Respondemus sic placitū esse ipsi Deo. Sicut Christus Mat. 13. nullā aliā causam affert, cur sapiētib; abscondatur Euangeliū, paruulis reueletur, quam, illam absolutam, à voluntate Dei ductam.

XI. Si Deus reprobat quos vult, est *προσωποληπις*. Forma. Qui æqualibus inæqualia tribuit, is est *προσωποληπις*. Sed Deus. Ergo.

R. Neganda consequentia propter fallaciā accidētis. Erratur falsa definitione *προσωποληπις*. Personarum acceptor non qui paribus paria non tribuit: sed qui circūstantijs quibusdam ipsi personæ in hærentibus, iniquè mouetur, cur paribus Paria nō tribuat. Clauū quod dico. Primū a notatione *προσωπος*. Proσωπο nō significat substantiā, sed externam qualitatem, quæ vel gratiā vel odiū conciliat. Iacob. 2, 1. Hæc sunt illa *προσωποι*, quæ scriptura negat accipienda incorruptè iudicatu-ro. Sic scriptura negat Deū in eligēdo aut reprobando, has externas qualitates spectasse, A cior 10. vers. 34 Deinde ab Augustino. Illic est acceptio personarum, vbi, quæ æqualibus ex æquo debentur, inæqualiter distribuuntur At vbi que distribuuntur, nō debentur, sed ex liberalitate donantur, ibi et si æqualibus inæqualia distribuuntur,

nulla

nulla personarum acceptio aut iniustitia esse potest. Exemplum de duobus debitoribus. Demum ab aequitate: Articulo 5. Hoc esset contra rationem iustitiae, si praedestinationis effectus ex debito redderetur & non daretur ex gratia. In his enim quae ex gratia dantur, potest aliquis pro libito dare cui vult, plus vel minus, absque praedudicio iustitiae, iuxta illud. Math. 20 tolle quod tuum est: Nonne mihi licet.

XII. Inquit Christus Matth. 23. 27. Quoties volui congregare te, sed noluisti. Ergo a voluntate nostra pendet ratio reprobationis. R, Admittitur fallacia Homonymias. Loquitur non de voluntate sua Christus aeterna, quam habet cum Patre eandem: sed de sua humana, qua, missus circumcisionis minister, ex animo Iudaeorum salutem cupiebat. Debent enim omnes ministri ex animo velle, ut credant ad salutem, ad quos vocandos mittuntur; ut quibus Deus suum de singulis personis arcanum consilium non patefecit. Verum, cur Deus vitium illud voluntatis non tollat, quo nolumus: aut cur illud nobis imputet, quod praestari non potest, quaerere non licet, ac si curiosius quaeras, nunquam tamen inuenies. Sicut Paulus docet, Roma. 9. Tu quis es qui respondas Deo?

XIII. Si impii non credunt, quia non sunt ex quibus. Ergo reprobatio est causa infidelitatis. Paralogismus non causae ut causae. Omissa proxima

ma

ma causa infidelitatis. Etsi nemo credit, nisi ad fidem prædestinatus; non tamen sequitur, reprobationem causam esse infidelitatis. Nam causa vera efficiens infidelitatis, est malitia & corruptio naturalis. Prædestinatio verò, est tantum remota causa deficiens.

Instantia Ergo, nullo iure damnantur peccati, qui non nisi ad peccatum ferri possunt.

R. Negamus: Rationes negationis hæc.

Homo corruptus, ne quidem tenebras suas agnoscere vult, multò minus vt admittat medicinã. Deindè hæc sub peccatũ mæcipatio nõ à creatione, sed à voluntaria rectæ naturæ mutatione profecta est. Nam primi homines ad imaginem Dei creati erant, ad agnoscendum & probandum bonum atq; ex ratione contrariorum ad detestandũ malum. Postremò debitores qui sua culpa facti sunt non soluendo, nihilo minus debitores manent, nec fit illis iniuria à Deo, ius suum repente.

XIV. Scriptura locuta de reprobis, loquitur vbique passiuè, ad Roma 9. 22. *πρόσῳτοιμασμένοι*. I. Thess. 5. & alibi. De electis verò actiue. Roma. 9. vers. 23. Ergo voluntas Dei non est causa reprobationis. R. Per negationem consequentiæ propter paralogismũ a dicto secundum quid. Hinc falsum fit antecedens. Etsi passiuè nonnunquam loquatur de impiis, tamen passio hæc non tollit voluntatem Dei à reprobatione, sed potius stabilit.

Omnis enim patiens aliunde patitur. Deinde et si nonnunquam passiuè loquatur, non tamen semper; Nā & actiuè de reprobis loquitur Deus, iuxta hæc dicta Rom. 9. 17. excitauit Rom. 11. 1. Num abiecerit. Malach. 1. odio habui Prouerb. 16. 17. creat ad diem malum. Contrà, & passiuè à fidelibus electis tribuuntur: κλητοί, ἠγαπημένοι ἠλεγμένοι, πειραγμένοι dicti. Nequè; tamen tales à semetipsis. Ad hæc nihil absurdius, quàm dicere, vas aliquod à semetipso, non à figulo factum. Denique. Apostolus, de utrisque utitur verbo eodem faciendi. Roma. 9. vers. 21. facit vas aliud ad decus aliud ad dedecus.

XV. Si decretum reprobationis in Deo statuitur: fati stoici necessitas inuehitur: tollitur contingentia actionum voluntariarum: & consciētiae in tentationes periculosissimas de electione particulari conijciuntur. Sed hæc absurda. Ergo & illud. R. ad maiorem per negationem, quæ falsa, propter fallaciam non causæ ut causæ. I. Etsi voluntas Dei rebus necessitatem imponit, non tamen necessitatem fati stoici, cuius necessitas longè alia fingitur. Erat enim fatum stoicum conexio omnium causarum & effectorum immutabilis, ex ipsarum causarum natura dependens: qua, neque secundæ causæ aliter agere poterant, quam prima, neque prima aliter, quam secundas agere videret. Hæc falsa. II. Contingentiam verò actionum humanarum non tollit, sed firmat

necessitas prædestinationis. III. Neque electionem particularem infirmit: sed omnia tentationum pericula eximit: cum nulla esse possit electio vniuersalis.

XVI. Quod vitari non potest: nulli debet imputari. Sed reprobatio vitari non potest. quin pereant reprobatum: iuxta illud Ecclesiastici: Considera opera Dei, quod nemo potest corrigere, quem ipse despexerit. Ergo perditio secuta ex reprobatione imputari non debet.

R. Per negationem consequentiæ propter fallaciam ab ignoratione Elenchi. Ratio. Confunduntur iudicia diuina cum humanis. Argumentum humanum est: quod verum in foro politico inter homines: falsum verò est in Deo. Est enim solius Dei omnipotentis liberrime perdere ac seruare, iuxta illud. An non licet mihi quod volo facere in meis?

XVII. Sapientiæ 1. Mors diabolo tribuitur, Ergo Deus neminem prædestinauit ad mortem.

R. Per negationem consequentiæ propter fallaciam non causæ vt causæ. Vnius effectus plures possunt esse causæ, & idem opus à diuersis causis, quâquâ diuerso modo proficisci potest. Mors à diabolo, quatenus ex inuidia, hominem ad peccandum exstimulauit, vt dicitur vers. 24. Eadem ab homine ipso, vt docet idem Sapie. ca. 1. vers. 16. Impij verò manibus, &c. Eadem à Deo tanquam à iusto iudice, quâ vt poenam peccati, impiis infligit. Cetera: Mortem Deus non fecit, & homine ad con-

ditionem incorruptam, & mundo ad ortus salutares condito. Sapien. 1. v. 13.

XVIII. Hæc doctrina conciliat odium Dei. Ergo est falsa: Nam odimus quos scimus nos odisse.

R. Neganda consequentia propter paralogismum accidentis. Fit hoc, non vitio doctrinae, sed abusu hominum, qui occasionem odii ex hac doctrina arripiunt, qua tamen ad amandum Deum accendi debebant.

XIX. Inuentum humanum est, vt quoties vi argumentorum vrgeamini, ad voluntatem Dei arcanam metuendam recurratis, qua disputatorem molestum, ad silentium adigatis. Ergo, voluntas non est causa reprobationis. R. Antecedens falsum. Non nostrum est inuentum, sed præceptum diuinum, scripturis firmatū. Iuxta hæc dicta: quid adhuc quæritur: voluntati ipsius quis resisterit? O homo tu qui es qui cōtendas cum Deo? An nō habet potestatem figulus? Loci hi, ad silentium & reuerentiam, à curiositate atq; ratione nasuta excitant. Qui verò Paulo non credunt, sed gigantum more, cum Deo pugnare pergunt, hos mittamus, spectaturi quos triumphos sint reportaturi.

XX. At hæc doctrina pugnat cum ratione humana. Ergo falsa. R. Fallacia nō causæ vt causæ. R. I. Nam sapientia carnis inimicitia aduersus Deum. II. Imo iccirco vera, quia cum ratione humana pugnat. Est enim mysterium, quod omniū hominum captum superat: iuxta illud, Rom. 11.

O pro-

O profundas diuitias sapientiæ. III. Deinde ex curiositate absurdo rationis humanæ infatuatæ, fit; vt dum soli voluntati Dei potentiam ac libertatē reprobandi, indurandi, & omnia faciendi inuideamus: ipsi, libero nostro arbitrio, omnia tribuamus, ad Pelagianismum deflexi. IV. Atque dum Deum, humanis rationibus rancidis excusare ab iniustitia volumus, mille blasphemias euomamus. Postulat prudentia humana, vt Deus nobiscū agat iure humano, secundum leges Politicas, vt faciat quod nobis rectum videtur: aut si nolit, reddat rationes, cur nolit, redactus in ordinem, legibus præscriptis. Est autem iuris humani, ne quis reprobetur, aut damnetur, nisi id nostro iudicio promeruerit. V. Si Deus in prædestinando merita spectasset, frustra Apostolus, expostulantes, in scenam produceret: frustra obmurmurantes compesceret: frustra à potestate fieri argueret, quæ cum meritis pugnat. Sicut probat ille Pater familias, qui operariis ius postulâtibus, opponit libertatem voluntatis. Matth. 20. VI. Adhæc si Deus merita in reprobandis spectasset, cur non eadem, ex lege oppositorum, in eligendis sequutus? Nam si rationem cōsulamus, æque iniquum est, indignos coronari, atque indignos reprobari, & puniri VII: Sed hic est ille oculus nequam rationis humanæ, vt Deum, dum indignos sine meritis saluat, laudet: expostulet verò cum Deo, si immeritos reprobet, atq; damnet. Causa malitiæ huius;

G ;

quia,

quia ratio iudicat, non secundum æquitatem, sed affectum. Vtrobique enim par iniquitas, si rationis sensum sequamur: quæ laudat Deum in electis, non vt Deum, sed vt commodis suis seruientem. VIII. Si iustitia Dei comprehendi posset, iustitia humana, non esset iustitia diuina, cum iustitia Dei sit incomprehensibilis: exclamante Paulo ad Rom. Et incomprehensibilia non essent iudicia Dei, si modulo nostri iudicii capi possent. Proh fatuam superbiam hominum: fatentur, incomprehensibilia omnia esse in Deo: & tamen vbi quæstio de iudiciis Dei mouetur; in hæc tantum sibi iudicii atque aciei arrogant, vt illa capiant atq; exagitent. IX. Nec mirum, cum etiam in externa mundi administratione, opere multo faciliore, sapientiam atque omnipotentiam Dei sugillent. X. Sed nos cogitemus esse lumen naturæ, esse gratiæ, esse gloriæ: atque infinita comprehendi posse gratiæ lumine, quæ lumen naturæ fugiant: & quæ gratiæ luce explicare nequeant, illa reseruata gloriæ. XI. Postremò etiam ratio naturalis sanior, quæ, illa necessitate prædestinationis grauitèr offenditur, velit, nolit, omnia Deo tribuere cogitur, vt vt agat, his principiis, conuicta, in corda humana, à natura, inscriptis. Principia hæc: Deum esse omnipotentem: omnia in omnibus operari: sine ipso fieri nihil posse: ipsam omnia nosse ac præscire, omnis erroris expertem: Satanam ac hominem lapsos, atque à Deo desertos, non posse non peccare, secutos



secutos propria cordis desideria: voluntatē & naturam hominis à Deo auersam, nihilominus subiectam voluntati Dei manere, qui in malis, & per malos operetur: facere omnipotentiā Dei, vt impius, actionem Dei effugere nō possit: facere præscientiam, vt eū nihil fallat; facere deniq; corruptionem hominis vt benè moueri à Deo nō possit. Hinc mala in malis, non Dei, sed malorū vitio fieri. Inuenit enim Deus in nobis voluntatem malam, non creat, quam mouet, quorsum vult.

### THESIS XVI.

**H**uius autem voluntatis species est permissio: Est autem permissio, non prouidentie diuinæ, aut prædestinationis, in actionibus malorum, cessatio, aut anergia; quā fiat, vt actiones impiorum, non ab alio principio, quam à solo arbitrio ipsorum pendeant: Sed gratiæ diuinæ subtractio; qua, Deus, dum decreta sua æterna per creaturas, exequitur, aut voluntatem suam creaturis non patefacit, qua, illud opus fieri velit: aut voluntatem creaturarum non flectit ad obtemperandum voluntati diuinæ, in eadem actione; deniq; non impedit malum culpæ, cum possit, auxilio subtracto.

I. Explico: Hæc thesis comōdè superiori subiicitur. Ratio: Est enim permissio species diuinæ voluntatis, quam absolutam reprobationis causam

esse supra demonstravimus: Sicut recte ex Augustino, Lombardus observat, dist. 45 §. 7. & 11. Vbi à capitibus Enchiridii Augustini duobus hisce 95: & 96. sic infert. Ecce hic manifeste habemus Dei voluntatem, appellari permissionem ipsius. De locis Augustini; post videbimus.

II. Sunt autem membra definitionis duo: definitum & eius prædicatum.

III. Definiti notatio triplex: Prima, è duobus bonis, quod minus bonum est, inuitum concedere, vitio alterius, cum tu tamen diuersum malis. Exemplum de filio tuo, qui mercaturæ, quã literis operam dare vellet. Hæc voluntas permissio dicitur, ratione maioris boni, quod tu malles. Sic permissio non cadit in Deum vt cuius voluntas à creaturis impediri non possit. Secunda, è duobus malis vnum impunè concedere, quo grauiora vitentur. Ita Magistratus nonnunquam lupanaria permittit: Sic permissio in Deum non cõpetit: propter veritatem & iustitiã Dei; quia quod cõstanter semel vetuit, vt malum, illud impunè admissum non vult. Tertia, non impedire malum cum possis, auxilio subtracto. Sic Deus permittit peccata: iuxta has rationes: vnã à natura Dei; alteram à natura hominis ductam. I. Deus est Dominus omnium liberrimus, qui absolutam in omnes creaturas potestatem habet: miseretur enim & indurat, prout vult. II. Homines verò natura filii iræ, venditi sub peccatum, non possunt non peccare, sibi

sibi relictis. At Deus sola sua gratia regenerationis communicata, peccatum impedire posset. Permittit autem nos peccare, dum vel non dat gratiam indebitam, vel subtrahit datam, non tamen sine iusta causa, ut nostris peccatis utatur ad patefactionem suæ gloriæ: Iustitiæ in puniendo, & misericordiæ in condonando. Iuxta illud Acto. 14. 16. qui præteritis ætatibus fuit, omnes gētes, suis ipsarum viis incedere. Incedere suis viis, est idololatriam, peccatum maximum admittere. Sinere, est actionis, & significat subtractionem vel denegationem diuinæ gratiæ,

IV. Est autē permissio ἐκ τῶν πρὸς τὴν, cuius obiectum, malum culpæ, quatenus peccati forma spectatur. Usus verò hic: ne Deum peccati auctorem faciamus: quod fieret, si diceremus, Deum propriè, simpliciter, & per se velle peccatum. Vult autem illa propriè, quæ amat, probat, efficit & effici à nobis vult. Sic solum bonum vult, ut quod sua natura appetibile sit: malum verò natura est peccatum.

V. Definitionis membra sunt duo, vnum ἀναίτητος, alterum θεοῦ.

VI. Primum negat falsum, quæ describit permissionem, cessatione diuinæ prædestinationis, in actionibus malorum, quasi actiones humanæ malæ, à solo principio liberi arbitrii pendeant, nolente eas fieri Deo. Sic Lombardus, sui & Augustini mox oblitus, & posteriores plerique Scholastici,

eam definiunt, vt dicant, eam esse, quandā nudā, vanam & otiosam anergiam, patientiam, nolentiam atque inefficientiam Dei tanquam obdormientis, & nō curantis res hominū malas, Lomb. lib. 1. 45. & 46. Deus nolens finit. Sic voluntati Dei permissionem opponunt: Putidè?

VII Sed hanc definitionem esse et falsam & absurdam, equidem hisce argumētis nouem probo.

I. Ab absurdo. Sic Deus vel inuitus, vel non curans res humanas aliquid permetteret. II. Sic negaretur omnipotentia Dei ex diametro. III. Sic crearetur nobis periculū Atheismi, & Epicureismi. IV. Nihil Deo nolente fit, teste Augustino. Ratio: Quidquid enim fit, aut ignorante, aut sciente Deo fit. Ignorante nihil fieri potest: ergo sciente. Si sciente, vel nolente, vel volente: Nolente quidquam fieri, pugnat cum omnipotentia Dei. V. Vult Deus quæ agit, & quæ vt fiant efficit: efficit autem quæ sunt peccata. Nam Deus indurat, Exodi 9. Exæcat. Esaie 6, iubet vt maledicamus. 2. Sam. 16. Tradit homines in sensum reprobum. Rom. 1. mittit Spiritum erroris. 2. Thessa. 2. Inducit in tentationem. Matth. 6. Mittit Spiritum seductionis. 2. Reg. 22. Conuertit corda vt oderint. Psalm 105. Flectit corda impiorum ad malum. Prouer. 21. Atque hæc omnia nostri respectu, sunt peccata; Dei, poenæ. VI. Qui vult finem, vult etiā media ad finem: sed Deus vult patefactione suæ, misericordiæ & iustitiæ. Rom. 9. 22. 23. Huc facit &

& peccatum, sine quo neq; misericordiae, neq; iustitiae locus fuisset. Addo: Tales nos natura creavit ut peccare possimus: dedit affectus, quibus titillamur ad peccandum: dat varias occasiones ad peccandum, diuitias atq; alia commoda: dedit legem qua augetur peccatum: creavit Diabolum qui tentet ad malum: tollit, vel non dat ea quibus vitari potest peccatum, gratiam Spiritus Sancti. Deniq; volens permisit lapsum Adami. Ergo Deus vult peccata: etsi improprie, propter aliud VII. Adictis scripturae Matt. 10. 29. non cadit passerulus sine voluntate Patris. Act. 1. dicitur Iudas decretus a Deo proditor. oportuit impleri scripturas Act. 4. dicuntur impii praedestinati ad mala. Rom 9. 19. voluntati eius quis resistit. 1. Pet. 2. 15. ita est voluntas Dei, vt. VIII. Permissio est species voluntatis diuinae: Voluntatis vero obiecta sunt duo: bonum & malum. Bonum proprie & per se: malum improprie propter aliud. Sic voluntas Dei multiplex dici potest ratione obiectorum, quibus Deus aliquid vult; alio modo vult bona, alio mala. Voluntas, qua vult bonum dicitur complacens & effectiua: illa, qua vult malum, dicitur permissiua. Sic recte Scholastici. IX. Ab auctoritate Augustini, qui ait: Permissio Dei non est sine voluntate Dei. Sic cap. 95. & 96. Enchiridii: quae diligenter domi legere debetis. Aquinas. In iis ipsis malis se habet Deus ad modum volentis: Ergo insulsa & absurda est repugnantia voluntatis & permissionis, quam statuunt nonnulli.

Alte

X. Alterum definitionis membrum est thesis; quâ, veram permissionis definitionem pono I. Genus facio, voluntatem Dei, seu actionem Dei efficacissimam: iuxta illud Act. 17. Per ipsum vivimus, mouemur & sumus. II. Differentiam do, subtractionem gratiae: cuius species duae, vel negatio gratiae indebitae; vel priuatio datae. III. Hanc differentiam explico à modis, quibus Deus gratiam suam subtrahit. Modos tres pono: Subtrahit gratiam: vel non patefaciendo creaturis, per quas agit, suam voluntatem, qua illud opus fieri vult: vel non flectendo voluntatem creaturae, ad optemperandum voluntati Dei patefactae; vel non impediendo malum culpae. IV. Hanc confirmo ab his scripturae dictis: Ps. 81. 13. Quapropter dimisit eos, pergunt ex sententia animi. Act. 14. 16. Qui praeteritis aetatebus fuit omnes gentes suis ipsorum viis incedere. Act. 2. 23. Hunc definito consilio:

Item, ab auctoritate Augustini qui capite 31. de gratia ac libero arbitrio ait: Non est dubium quin Deus inclinet hominum voluntates, siue ad bonum siue ad malum. Addit: Agit Deus in cordibus hominum etiam voluntatis motus. Sic capite centesimo Enchiridii: vbi docet, nihil fieri contra voluntatem Dei; Et reprobos facere ex voluntate Dei, quae faciunt. Concludit tandem, malum quod à nobis fit, non modò sinente, sed & volente Deo fieri.

III. Illustro à contrariis. Sed dictis opponuntur haec I. Patres locuti sunt mollius, vbi voce permissionis,

missionis, quam volūtati opponerent: Ergo rectè nos eam volūtati opponimus. R. Per negationem consequentiæ. Ratio negationis duplex: Prima, propter paralogismum non causæ vt causæ, Errata Patrum non sunt trahenda in exempla: viuimus enim non exemplis, sed legibus. Locuti Patres timidiùs. Causæ timiditatis hæ. I. Non vt prouidentiam Dei in actionibus malorum negarent: Sed quod cachinnos Manichæorum extimescerent. II. Vt omnem Dei accusandi ansam impiis præciderent. III. Quod denique peccati, priuationum & defectuum, nullam causam efficientem, sed deficientem potius quærendâ putaret. Altera, propter fallaciam à dicto secūdū quid. Et si pleriq; locuti timidiùs, non tamen omnes.

II. Qui vult peccatum, is est auctor peccati: Sed Deus vult peccatum: quia volens permittit. Ergo auctor est peccati.

Be. Neganda consequentia: vel propter fallaciam homonymias: vel illam à dicto secundum quid. Propter Homonimiam fiunt termini quatuor, à quibus mutatur genus prædicationis. In maiore; verbum, Vult, *ἔπιτελει*, simpliciter atq; propriè capitur: sic qui vult peccatū, is auctor eius rectè dici potest. In minore, accipitur *ἔπιτελει*, impropriè, propter aliud. Sic qui vult peccatum, auctor peccati dici non potest. Sic Deus vult peccatum, ratione sui decreti, propter aliud: quatenus illud decreuit fieri, quod reprobis admittunt; propter bonum, quod

quod inde sequitur: quæ est executio diuinæ iustitiæ atque misericordiæ. Nam si nullo modo velle Deum, peccatum dicamus, concludemus, inuito Deo aliquid fieri in mundo. Habet etiam ipsum malam, rationem boni, si decretum Dei, & finem decreti spectes. Denique, neq; voce permissionis assequuntur id, quod intendunt. Est enim & ille in culpa; qui si malum longius imminere prospiciat, & id solo nutu impedire possit; illud tamen non modo non impedit, verum etiam permittit, & eius perpetrandi facultatem concedit.

III Qui non impedit malum, cum possit, is est iniustus: Ergo Deus est iniustus.

¶. Neganda est sequentia, propter vitiū formæ. Ex puris particularibus nihil sequitur. Nā qui non impedit: scilicet: si debeat impedire, neque iustas permittendi causas habeat, is esset iniustus.

### THESIS XVII.

**C**ausarum mediarum, per quas Deus propositum hoc suum iustissimum, in reprobatis damnandis, ad gloriam iustitiæ suæ exequitur, aliæ in ipso Deo, aliæ verò in ipsis reprobis considerantur: cuiusmodi: creatio hominis in recto statu ad imaginem Dei: corruptio hominis totius spontanea & merè voluntaria: derelictio corruptorum iusta, in illa corruptione naturali, & duratio effecta deniq; indurationis.

Explico: Modos monstro, quibus Deus consilium

lium



lium reprobationes exequitur. Modos pono quin-  
 q;: quorum priores duos communes dixi repro-  
 bis cum electis; creationem & corruptionē, thesi  
 sexta. Est autem corruptio originalis, exitii gra-  
 dus primus, inuecta in naturam humanam, spon-  
 tanea Adami voluntate, atque iusto Dei iudicio  
 in singulos Adami posteros propagata: in qua si  
 omnes relinqueret, nemini Deus iniuriā faceret.  
 Secundus, de relictio iusta, quæ rationem causæ de-  
 ficientis habet. Tertius, Induratio, quæ derelictio-  
 nem sequitur, estq; incrementum ingenitæ cor-  
 ruptionis: quæ etsi à Deo infligatur, ut indice iu-  
 sto, tamen eam non efficit, quatenus malum cul-  
 pæ. Indurat autem Deus corruptos, tradendo, par-  
 tim Satanæ tyrannidi, partim vero concupiscen-  
 tiis ipsorum. Indurat verò ipsos Satan, partim ten-  
 tando, partim vero cogitationes malas ciendo.  
 Indurat deniq; se homo, semetipsum in malitia  
 obfirmando corrupta voluntate, quæ est principi-  
 um actionum voluntariarum omnium. Quartus,  
 effecta indurationis, iniustitiæ & impietatis per-  
 tinacea, ad finem vitæ vsq;. De quibus ad Rōanos  
 9.v:18:10.v.16:11.v.7. passim.

Ex his mediis causis colligimus, Deum nequa-  
 quam, iniustum in reprobos: quoniam, etsi quos  
 ipsa libuit, ex mera sua voluntate, nulla ipsorum  
 indignitatis ratione habita, odio ad exitium de-  
 stinarit: tamen re ipsa neque odit, neque perdit,  
 nisi sua ipsorum corruptione, odium & exitium  
 pro-

promeritos. Aliud enim est, odio destinare, quam  
re ipsa odisse ac perdere: cum inter destinationem  
& executionem eius intercedant causae mediae à  
Deo ordinatae, quae ipsum facile ab omni iniusti-  
tiae accusatione absoluunt.

### THESIS XVIII.

**A**damus verò lapsus est, partim necessa-  
riò, partim contingenter. Necessariò, re-  
spectu decreti diuini aeterni, iustissimi, sapientis-  
simi & immutabilis; quod causis secundis, & ha-  
rum effectis necessitatem ex tñs ὑπὸ θεοῦ imponit:  
contingenter verò, respectu arbitrij pro-  
prij mutabiliter boni creati, quo poterat non labi,  
si voluisset.

I. Explico: Prudenter hanc, tribus superioribus  
subiicio. Explicat enim causas veras lapsus Ada-  
mi, à quo, pleriq; voluntatem Dei imperitè sepo-  
nunt. Termini Theseos.

Necessitas duplex: vna absoluta; altera conse-  
quentiae, seu ex tñs ὑπὸ θεοῦ. Necessitas absoluta,  
est ordo inter causam & effectum immutabilis:  
quo simpliciter & per se, suaq; natura, non potest  
res se aliter habere: estq; eorum, quorum oppo-  
sita simpliciter sunt impossibilia, propter naturam  
causae aut subiecti, de quo praedicantur: vt, Deus  
est aeternus.

Necessitas suppositionis aut consequentiae, est  
inimu-

immutabilitas effectuum, qui sequuntur ex causis; quibus positis, necesse est effectum sequi: sed ipsæ tamen causæ vel non existere, vel mutari poterāt. Hanc Scholastici, infallibilitatis vocant: nos necessitatem providentiæ diuinæ. Hac affirmamus Adamum lapsum: quæ causas secundas, sua natura, in utramque partem indefinitas, in alteram duntaxat definit, ut illam velint homines, quam Deus ipsis ab æterno destinavit: Sic peccatum Adami necessariū dicimus. Oritur autē omnis necessitas, aut à principiis internis formæ & materiæ; aut ab externis: in quibus providentiæ Dei, quæ inevitabiliter omnia fiunt, non solum quo ad res ipsas, verum etiam quo ad modos, quibus fiunt.

Est autem contingentia, ordo inter causam & effectum mutabilis, qui in utramq; partem sua natura est indefinitus. Sic, si spectes naturā Adami, fuit mutabiliter bonus creatus, ut posset peccare, & non peccare, malum velle & nolle: Deo nullam vim ipsius voluntati inferente; sed omnia secundum suas naturas suaviter flectente. Sic peccatum Adami fuit contingens. Itaq; vna eademq; causa secunda, est & necessaria & contingens: Contingens, ex naturalibus innatisq; principiis: Necessaria, ex æterno decreto Dei.

II. Confirmo. Unico argumento apodictico ducto à natura providentiæ diuinæ. Forma: Diuinà providentiā, omnia necessario fiunt, necessitate in

H

falli-

fallibilitatis. Sed Adamus lapsus est decreto diuinae prouidentiae. Ergo lapsus necessario.

Maiorem confirmo argumentis sex: Quorum primum, duco à certissima, infallibili, distincta, atque aeterna rerum omnium futurarum, quae in Deo est, cognitione. Forma: Quae Deus certa & infallibili cognitione praenouit, ea omnia infallibili & inuitabili necessitate eueniunt. R. Alias falleretur praescientia Dei. At non fallitur: sed omnia quae futura sunt, in conspectu Dei sunt praesentia: Atque omne quod est, dum est, necessario est. At Deus omnia praenouit. Hebr. 4. 13. Ergo omnia eueniunt inuitabili necessitate prouidentiae.

Secundum: A voluntate immutabili Dei, de rebus vniuersis ac singulis. Forma: Quae voluntate Dei geruntur, ea necessario eueniunt. Ratio: Est enim voluntas Dei prima rerum omnium causa. Sed quaecumque geruntur diuina prouidentia, illa fiunt voluntate Dei. Ergo omnia fiunt necessitate diuinae prouidentiae: iuxta haec dicta. Psal. 115. 3. Ephe. 1. 11 κατὰ τὴν βουλὴν τῆς ἐκλογῆς. Rō. 9. vers. 19, Indurat quos vult. Matth 11. 26. Abscondit mysteria regni à quibus vult. Eccl. 9. 3.

Tertium: A certo & firmo ordine omnium causarum secundarum, quas Deus ad aliquem effectum sua prouidentia disposuit. Forma: Certus est numerus & euentus omnium effectorum apud Deum, ex certissimo ordine causarum, ad singula effecta à Deo destinatarum. Ergo omnia eueniunt

niunt necessitate prouidentiae diuinæ: iuxta hæc dicta. Sap 8, Sapientia Dei pertingit à fine ad finē fortiter, & disponit omnia vtiliter. Sap. 11, 22. Sed omnia disponit in mensura, numero & pondere. Hof 2.

Quartum: A rebus maximè contingentibus.

Forma: Si illa quæ forte eueniunt, sūt necessariò: utpote sortes: multò magis illa, quæ grauissimi sunt momenti: cum sorte ipsa nihil videatur magis contingens. Sed sortes necessariò cadūt: iuxta hæc dicta Prouer 16. Sortes iniiciuntur in sinum: sed à Domino exit iudicium. His deprehensi & Achamus ille. Iehof 7. & Matt. Act. 1.

Quintum: A prædictionibus rerum futurarum certissimis. Forma: Quæ certo prædicuntur futura, ea ut eueniant est necesse. Atque infinita, quæ sua natura causisq; secunda spectatis, erant mera contingētia, certò prædicta fuerunt. Ergo omnia certò eueniunt.

Sextum: Ab auctoritate scripturæ: Ecclesiastes cap. 3. 1. Prouidentiae humanæ de euentibus politicis & æconomicis præstandis anxie sollicitæ, opponit prouidentiam Dei: à qua docet omnium rerum euentum necessarium pendere: & ob id frustra se homines torquere sua prudentia. Idq; probat à natura prouidentiae: Cuiq; sua tempestas & tempus cuiq; voluntati sub cœlis. Sensus est: Omnia necessariò eueniunt necessitate prouidentiae. Hanc sententiam confirmat ab inductione vario

rum exemplorem, ortus & occasus i. ostri: rerum  
secundarum & aduersarum: rerum domestica-  
rum: actionum humanarum: atq; affectuum. Sic  
cap. 3. 17. probat, necessitatem iudicii extremi, à  
necessitate prouidentiae: Quia tempus est cuique  
voluntati, sic cap. 7. 9. probat, contra perturbatio-  
nem rerum humanarum, omnia fieri necessario.  
Sic c. 9. 3: Iustos, facta, resq; ipsorum, in manu Dei  
esse.

II. Minorem confirmo ab his argumentis XII.

Primum duco à definitione prouidentiae diui-  
nae: quae est decretum Dei liberrimum, æternum,  
sapiantissimum & immutabile, tum de vniuersis  
ac singulis rebus bonis, ad suos fines per certa me-  
dia deducendis: tum de malis fieri permittendis:  
iuxta hæc dicta. Sap. 14. 3. Act. 17, 24. Ioh. 5. 17.  
Esaia 45, 6. Ier. 23. 24. Mat. 5. 45.

Secundū: Ab absurdo, Sic excluderetur (nempe  
si minor negaretur) decretum illud Dei, æternum  
prouidentiae; quo omnia & singula cōprehendun-  
tur ac reguntur, à mutatione præcipui opificii sui:  
quod est absurdum. Ps. 8. & 104. v. 24.

Tertium: A contrariis: si Deus noluiſſet sim-  
pliciter, Adamum labi, non peccasset. Ratio: Deo  
inuito & nolente, propter omnipotentiam, nihil  
fit: iuxta articulum primum: Credo in Deum. Qui  
negaretur, si dicamus sine decreto Dei lapsum A-  
damum: manifestissimo vitio Atheismi & Epi-  
curæismi.

Quartum:

Quantum: A comparatis similibus: Secundus Adamus Iesus Christus, necessitate æterni propofiti diuini mortuus est pro peccato, a primo Adamo in mundum inuecto. Luc 24. 26. 46. Acto 2. & 4. Ergo & primus lapsus necessitate prouidentia æternæ, Rom. 5. 1. Cor. 15.

Quintum: A comparatis minorum. Casalia & fortuita maximè, eueniunt necessitate prouidentia diuinæ: utpote sunt capillorum nostrorū casus: passerulorum captura: atq; lapsura bipennis è manu lignatoris: iuxta hæc dicta. Matth. 10. Luc 12, Deut. 19. & 5.

Sextum: Vnumquodque dum est, necessariò est. Sed lapsus nunc est Adamus. Ergo necessariò lapsus est.

Septimū: Quidquid agunt impii, id vult Deus fieri: Ergo quidquid labendo admisit Adamus, id Deus voluit fieri. Antecedentis rationes quinque afferro. I. Duplex est voluntas Dei: vna arcana, quæ beneplaciti; altera reuelata, quæ signi à Scholasticis dicitur. Arcana, semper & ab omnibus fit: iuxta hoc. Roman. 9. 19. voluntati eius quis resistit; Hac Adamus lapsus. II. Scriptura dicit, Impios facere voluntatem Dei. Acto. 1. 24. 3. 18 4. 28. III. Aphrasi scripturæ (synecdochica: quæ, Deus dicitur facere quod impii admittunt: iuxta hæc dicta Job 1. Deus dedit, Deus abstulit. 2. Sam. 16. 10. Deus dicitur mandasse impio Simei, vt Dauidi malediceret. IV, Deus non solum voluntatem ho

mini dedit, sed eam quoque regit. Prouerb. 21.  
 1. V. Quaecunque Deus, vt fiant, efficit, illa vult:  
 Sed efficit quæ sūt peccata. Nā, indurat, excœcat,  
 errare facit, tradit in sensum reprobum, mittit  
 spiritum erroris, conuertit corda, vt oderint, in-  
 ducit in tentationē: & similia facit, quæ sunt pec-  
 cata, nostri respectu. De quibus vide caput tertiū  
 libri quinti Augustini, contra Iulianum Pelagi-  
 num, qui huc hæc dicta citat. Rom. 1. Esaiæ 29. 63.  
 64. Iehosua 11. 1. Reg. 12, 2. Paral. 25. 2. Thessal 2, 2.  
 Reg 22. Psal. 77.

Octauum: Ab occasionibus & medijs. Deus  
 Adamo occasiones peccandi varias obiecit: Ergo  
 volūtate Dei est lapsus. Principiò, mutabiliter bo-  
 num, ipsum creauit, vt labi posset: Deinde legem  
 tulit, quam sciebat ipsum non esse seruando: crea-  
 bat serpentem & Diabolum, qui Euam seduce-  
 rent: Dedit vxorem, quæ virum in fraudem Pelli-  
 ceret: Deniq; permisit ipsum labi, subtracta grati-  
 a, sine qua stare non poterat,

Nonum: Ab exemplis similibus. Deus vult esse  
 scandala, hæreses, & reprobos, necessitate conse-  
 quentiæ. Ergo quid mirum, si dicamus, Deum vo-  
 luisse lapsum Adami. Matt. 18, 1. Cor 1. Rom. 9.

Decimum: Est error Manichæorum, affirmare,  
 Deum nullo modo velle peccatum: cū tamen  
 Deus induret, excœcet, tradat in sensum reprobū,  
 immittat spiritum erroris; atque inducat in ten-  
 tionem; quæ sunt peccata, nostri respectu.

Vnde-



Vndecimum. A genere ad speciē. Omnes omnium hominum actiones atque motus humani, tum interiores, tum exteriores; tam mali quam boni; siue mentis, siue cordis, siue voluntatis, reguntur vi & efficacia diuinæ prouidentia: vt non possint non eligere, quod Deus velit. Ergo & cor Adami in labendo fuit à Deo in hanc partem definitum: iuxta hæc dicta, Prou. 16. v. 7. & 9. Iere. 10. 23. Act. 17. 28. Ps. 139. Prou. 21. 1.

Duodecimum: Ab autoritate Augustini, qui his locis sui Enchiridij idem affirmat, cap. 95. Nō fit ergo aliquid, nisi omnipotens fieri velit: vel si nēdo vt fiat, vel ipse faciēdo. Cap. 96. docet, Deū iccirco dici omnipotētē; quod omnia quæ sunt & fiunt, ipsius voluntate sint. Cap. 100. ex professo docet, & Adamum lapsum voluntate Dei, & reprobos facere ex voluntate Dei, quæ faciunt. Sic cap. 104. de Adamo loquitur, quem dicit præsciētiā Dei lapsum. Idem Augustinus capitibus 105. & 107. Enchiridij docet, eundem Adamum contingenter quoque lapsum esse. ¶ Postremo, Augustinus lib 5. cap. 10. de Ciuitate Dei, quærit: An aliqua necessitas dominetur voluntatibus humanis; atque concludit, duplicem esse necessitatem: vnā coactionis, quæ in voluntatem non cadat: alteram infallibilitatis, cui subiectæ sint voluntates humanæ.

Aquinas concludit. Singulos actos humanos regi prouidentia diuina, rationem secutus hanc.

Quātō aliquid propinquius est primo principio, quod est Deus: tantō nobilius in ordine providētiæ collocatur. Inter omnia, substantiæ spirituales propinquius ad Deum accedunt; quales Angeli & homines.

Lutherus: Si quis quærat, cur Deus induret, quō voluntas impiorum pergat mala facere: cur non simul mutet voluntatem malam: cur permiserit Adamum labi in hanc voluntatem malā: cur denique nos omnes peccato infectos creet? hunc reuocamus ad absolutam Dei voluntatem, cuius nulla ratio, quæ illi ut mensura præscribatur. Non enim quia sic debuit velle, ideo rectum; sed contrā quia sic voluit, iccirco debet rectum dici. Contra Erasimum.

III. Illustrō à contrariis Sophismatibus.

I. Qui vult lapsum, ille est auctor lapsus: Sed Deus vult lapsum Adami, secundum vos. Ergo est auctor lapsus. ~~¶~~ Neganda consequentia, propter paralogismum homonymias, quæ est in verbo Vult: à qua nascuntur termini quatuor, quibus mutatur genus prædicationis. Volumus aliquid bifariam, proprie & improprie. Proprie volumus illa, quæ ut bona, cognoscimus, probamus, amamus, facimus, fierique iubemus. Sic solum bonū volumus, ut quod sua natura appetibile. Sic qui vult lapsum & peccatum, is est auctor peccati. Atq; Deus sic lapsum Adami non vult, ut liquet ab illa interminatione: Quocunque die comederis. Sic  
acci-

accipitur in maiore Impropriè volumus quæ nõ  
per se, sed propter aliud volumus: quod est permit  
tere: vt si quis sectionẽ mæbri putris vellet prop  
ter sanitatẽ reliqui corporis. Sic Deus voluit lap  
sum Adami; non quatenus peccatum, sed quate  
nus illud, ad optimos fines, illustrationẽ suæ glo  
riæ sapientissimè ab æterno decreuit atque fieri  
permisit. Ergo etsi vna duntaxat est voluntas Dei:  
alio tamen modo vult bona nempe propriè: alio  
mala, nempe impropriè. Postremò si quis quærat,  
quodnam sit illud bonum, quod Deus per lapsum  
hominis, iustè fecit? Respondemus, fuisse præpa  
rationem ad executionem tum iustitiæ, tum mi  
sericordiæ: sicut nunc per malos ab Adamo pro  
pagatos hæc opera iustè efficit: poenas malorum:  
castigationes bonorum aberrantium: exploratio  
nes rectè incedentium: προφυλακτικῆν deniq, so  
licitudinem erga suos.

Instantia 1. Deus non vult malum. Sed lapsus,  
est malum. Ergo voluntate Dei Adamus non est  
lapsus. Responsio duplex. Prima, per negationem  
consequentia, propter paralogismum homony  
mias in voce, malum. Duplex est malum; culpæ &  
pœnæ: Malum culpæ, Deus propriè non vult sed  
illud volens permittit. Malum pœnæ vult. Nam  
omnis pœna est opus iustitiæ. Secunda, per nega  
tionem maioris: quæ si simpliciter intelligatur, fit  
falsa propter has rationes. Impii dicuntur facere  
voluntatem Dei, dum ipsi peccant: adhæc Deus si-

H 5

bi tri-

9. 5.  
39. 117.

bi tribuit, quæ impij admittunt. Deniq; quæ agunt & efficit Deus, illa quoq; vult: sed efficit, quæ sunt peccata: Nā indurat, excecatur, tētat, flectit ad mala: quæ omnia sūt peccata, nostri respectu. Adde: Qui vult finem vult etiam illa, quæ sunt ad finē. Talia peccata, quæ subordinantur ad finem.

Instantia II. Deus bonum vult; malum nō vult. Ergo in ijs quæ malè agunt homines, nulla Dei voluntas intercedit.

R. Neganda consequentia, propter fallaciā eandem homonymias in verbo, vult: vel illam à dicto secundum quid. In antecedente verbum vult, propriè capitur: in conclusione impropiè. Nam ab actionibus malorum non excludendam Dei voluntatem hoc argumēto probo. Deus actionibus malorum, aut explorat, aut castigat, aut malos inter se committit. Sed in omnia hæc actionum genera, interuenire Dei voluntatem, docēt hæc dicta, I. Pet. 3. 17. 4. 9. vbi vox *θελήματ* exprimitur in actionibus malorum. Rom. 8. 9. Act. 4. 28. vbi voces prædestinationis, consilij & manus. Deniq; sic Diabolus & impij imperio Dei eximerentur: Nobis verò præcipua in aduersis consolatio eriperetur: atq; in errores Pelagij admitteremus.

II. Si Adamus lapsus est providētia & decreto voluntatis diuinæ; sequetur, Deum esse auctorem peccati illius. Ratio: Decretum Dei, secundum vos, necessitatem voluntati tum angelicæ, tum humanæ imposuit ad labendum. Sed hoc absurdum. Ergo falsum illud.

R. Ne-

✕. Negandi consequentia, propter paralogif-  
 mum non causæ ut causæ. Negatæ consequentiæ  
 has duas rationes reddo. Primam, in maiore, non  
 est sufficiens causarum enumeratio. Nam proxi-  
 ma atque propria lapsus causa omittitur; ipsa vo-  
 luntas Adami, seu spontanea volūtatī inclinatio  
 ad malum, quæ etsi sit mutata, Deo deserente, qui  
 nemini est adstrictus, ipsa tamen sese vltro immu-  
 tauit, ut potius Deus causa lapsus deficiēs, remo-  
 tissima, quā efficiens dici debeat: quod etsi neces-  
 sariō eueniat, quod Deus determinauit. nō tamen  
 id ex media causa necessaria. Itaq; inter decretum  
 lapsus, & ipsam executionem, intercessit volūtas  
 Adami, vera, propria, & proxima lapsus causa, cu-  
 jus contingentiam non tollit necessitas euentus.  
 Secūdam: Posita causa prima non tollit secūdas,  
 sed eas potius ordinat, earumq; naturas cōseruat,  
 ut eo modo agant, quo agunt necessariō ex causis  
 definitis, contingenter ex causis indefinitis. Sic  
 decretum Dei de Adamo non sustulit, neque vo-  
 luntatem, neque contingentiam voluntatis, neq;  
 πρὸς αὐτὸν, quæ lapsus causæ. Multa simul  
 sunt & necessaria & voluntaria: Mors Christi: ossa  
 Christi: Deus ipse, necessitate naturæ optimus, &  
 tamen liberrima voluntate optimus. Postremò, a-  
 liud coactio, aliud necessitas. Hæc contingentiam  
 voluntatis non tollit, illa perimit. Nam coactiōis  
 principium mouens est extrinsecum: voluntatis  
 intrinsecum. Vide primum: ne in eadem crambe  
 mox puteam.

Instan-

Instantia: Si omnia necessariò in hominibus eueniunt, & res multò plures malè, quàm benè eueniant: & quidquid malè fit, id ex generali Dei voluntate fiat; quàm, omnia decernit ac vult sine exceptione. Ergò malorum effector Deus.

R. Per negationem consequentiæ, propter paralogismum non causæ vt causæ: vt suprâ. Omititur malorum proxima atque propria causa, liberas voluntatis humanæ. Nam necessitas euentus non tollit contingentiam voluntatis humanæ: quæ est principium actionum humanarum. Deindè, quidquid decernit Deus, non statim approbat ratione instrumenti malè se mouentis, nõ autem operis sui. Adhuc, voluntas hominum mala, non aliunde, quàm à seipsa, mala. Postremo, inter voluntatem Dei & malorum, non est consensus: aliud enim opus Dei per voluntatem peccantem agentis: aliud malæ voluntatis, malè seipsam semper mouentis.

III. Qui facit voluntatem Dei, is non peccat, neque meretur pœnas: Adamus fecit: Ergo.

R. Neganda consequentia, propter fallaciam homonymias, quæ est in voce, voluntatē. Duplex est voluntas Dei: vna arcana, altera reuelata. Maior loquitur de voluntate reuelata, quæ nobis est sequenda. Minor de arcana, quam impii faciunt, quæ nobis non est indaganda.

Quæstio. Hic si quis quærat: An impii faciant voluntatem Dei. Respondendum ab hac distinctione.

Etione. Si spectes arcanam, quæ est decretum Dei de vniuersis rebus ad suos fines deducēdi: & verbum faciendi referas ad exitum rei, faciunt impii voluntatem Dei. Sin spectaueris reuelatam, quæ est de rebus Deo gratis, & verbo faciendi includas rectum obediēdi affectū, impii non faciunt voluntatem Dei, sed in hanc, cornua obuertunt.

IV. Si Deus voluit lapsum Adami; voluit vel vt malum culpæ, vel vt malum pœnæ. Sed neutro modo velle potuit. Rationes: Malum culpæ odit: neq; aliud peccatum præcesserat, quod, hoc lapsum tanquam pœna mutaret. Ergo voluntate Dei non est lapsus Adamus. Responsio duplex: vna ad maiorem, altera ad minorem. In maiore non est sufficiens enumeratio finium, propter quos Deus lapsum velle poterat, Paralogismo à non consequenti. Voluit enim vt patefactionem suæ gloriæ. In minore duplex est vitiū. Velle potuit lapsum, partim vt malum culpæ, partim vt malū pœnæ: vt malum culpæ, quatenus volens permisit Adamum labi: vt malum pœnæ, quatenus vnum & idem peccatum sui ipsius pœna iustè esse potest: sicut de inuidia narrat, Syraeides.

Instantia 1. Ergo male fecit Deus hominem: qui facere poterat talem, qui neque tentari, neque peccare posset. R. Per negationem. Rationes. I. Quia noluit alium facere Adamum. II. Quia talè fieri meliùs erat, qui liberi esset arbitrij. vt peccare posset, si vellet: vt Dei misericordia & iustitia patefie-

ret illustrius. Augustinus lib. II. cap. 4. de Genesi ad litteram. III, Immutabiliter bonum esse, est proprietas solius Dei propria.

Instantia II. At hae solutiones non satisfaciunt omnibus, & Frustrà se torquent homines, qui laborant ut sapientiam Dei finibus suae rationis comprehendant quae tanta est, ut etiam ad illam, tenebrae habeant rationem lucis, etsi tenebrae sint & maneat. Quibus curiosis opponendū illud dictū Pauli O profundas diuitias! Sin verò neq, sic satisfiat; addendum illud Pauli alterum: O homo, tu qui es, qui ex aduerso respōsites Deo? Est enim intollerabilis audaciae atque superbiae, non nosse iudiciorum diuinorum rationes: & tamen Deum accusare iniustitiae, atque iudicia ipsius ad examē reuocare! Prò ausum cyclopicum!

### THESIS XIX.

**T**ria verò sunt, quae reprobationem insequuntur; priuatio gratiae; peccata: & poenae peccatorū: quae potius consequētia reprobationis, quā effecta sunt diēda; quod reprobatio non, ita peccatorum, atq, electio operū bonorum causa sit.

I. Explico. Consequentia reprobationis monstro, & causam appellationis do. Tria malorum spiritualium genera pono.

II. Confirmo: Nam, his tribus malis, tria bona spiritualia opponuntur, effecta electionis: Vocatio, Iustificatio, Glorificatio. Roma. 8. Deinde ab his



ab his malis reprobi ubique describuntur. Postremo hæc potius consequentia reprobationis, quam effecta vocando volo. Ratio: Malorum horum propria causa in reprobis insident; poenarum, peccata; peccatorum, corruptio naturalis: quorum deficientem dicerem reprobationem. Res enim à suis proximis causis cognominantur: bonorum verò operum causa, non naturæ nostræ bonitas, sed electio sola; cuius effecta.

### THESIS XX.

**P**riuationo gratiæ est primū reprobationis cōsequēs: quia Deus reprobos in sua nativa corruptione, derelinquit, destitutos ea gratia Spiritus S. qua sola & credunt & resipiscunt electi: ad quam ab æterno prædestinati sunt reprobi.

I. Explico: Per gratiam non intelligimus quælibet dona Spiritus S. quibus & reprobi sæpius donantur: de quibus 1. Cor. 12. & ad Hebr. 6. atq; 10. sed gratiam illam salutis, dilectionem Dei, & effecta dilectionis: de quibus ad Romanos 8. 30.

II, Confirmo; Matth. 13. 35. dicitur Deus abscondere mysteria sua à sapientibus. Ad Rom. 9. vers. 18. Nomine indurationis, priuationem hanc significat: Nam indurationi opponit misericordiam: quæ simili metonymia, significat communicationem beneficiorum electionis. Postremo, à contrariis: Prædestinati ad vitā, vocantur & iustificantur. Sed reprobi neque vocantur efficaci-

ter, neq; iustificantur. Ergo in hos solos priuatio gratiae cadit.

### THESIS XXI.

**E**ST autem priuationis huius species, excoecatio; seu induratio: quae neque noua in reprobis, malitiae ingeneratio; ut in electis uirium nouarum creatio, neque coactio est: sed corruptiorum maior desertio, & grauior desertorum in fœdas carnis atque Satanæ cupiditates iraditio à Deo, singularibus quibusdam reprobis, ad manifestationem iræ atque potentiae suæ, inflicta: ad quam ab æterno prædestinati reprobi nonnulli.

I. Explico: Vt hæc thesis intelligatur, breuiter has quæstiones de excoecatione explico: An Deus excoecet & induret: quosnam: quibus de causis: quibus modis seu mediis: An ad hanc Deus prædestinarit quosdam.

I. Primam disertim scriptura affirmat: Nam Exod 4.7. & 10. dicitur Deus indurasse cor Pharaonis: Ad Romanos dicitur tradere in sensum reprobum. Esa. 6. dicitur excoecare: Ad Thessalonicenses dicitur dare spiritum erroris. Deuter. 28. dicitur miscere spiritum vertiginis & his simillima dicitur facere. Neque tamen peccati auctor, cum omnia illa sint peccata, nostri respectu; pœnæ ratione Dei.

II. Indurat

II. Indurat autem solos reprobos: neq; tamen quosvis, sed aliquos duntaxat insigniter cōtumaces: quales, Pharao ille: qualis populus Iudaicus, cui Deus dedit spiritū conpunctionis: quales sapientes mundi, mutātes gloriā Dei, quos tradidit in sensum reprobū: quales deniq; illi, qui agnitæ veritati nolunt credere, quos spiritu erroris fecit.

III. Excoecationis huiusmodi finales causas tres reperio: vna, reprobos ipsos spectat, quos, hoc flagello spirituali, Deus, propter peccata præcedētia, plectit. Est enim iusti iudicis, peccatis peccata multare. Altera ipsos electos concernit, quos hoc exemplo indurationis, ad timorē Dei exercet. Postrema ad gloriam Dei excoecantis pertinet; quā, patefactione suæ iræ atque potentiae, in excoecando, illustrat. Impulsivas verò duas recito: vnam proximam alteram remotiorem. Proxima excoecationis causa, est ipsa contumacia atque rebellio istorum reproborum flagitiosa. Deus enim peccatis horum atrocioribus mouetur ad pœnas de ipsis sumendas. Quæ scriptura solet exprimere his & similibus locis: cum cognouissent Deum, neq; quia commutarunt gloriam Dei: sicut non probarunt Deum in notitia habere: sicut acritatē veritatis non receperunt & similia. Remotior, Dei voluntas liberrima. Nā in omnibus reprobis peccata inueniuntur, quibus indurationem promerentur, neque tamen omnes indurat, sed duntaxat quos vult: de qua ad Romanos 9, v. 18.

IV. Exceecat autem & indurat Deus, neque solâ permissione, neque solâ gratiæ subtractione: (Nam istæ locutiones grandiores, actionem quâdam Dei singularem significât, & grauius quoddam malum notant: neque, cum omnibus reprobis suam gratiam subtrahat, omnes tamen exceecat.) sed interna quadam actione efficaci atq; ineffabili: eaq; vel immediata per se, vel mediata per ministerium Satanæ, aut suorum Ministrorum, quo vel detrahit bona externa, vel resistit cupiditatibus ipsorum, vel offert opus quod natura vitata odit, & in quod impingit impetus malus.

Confirmo quod dico ab his dictis, Deut. 28 inter maledictiones Dei recensetur excecatio, Ierem. 13. Spiritum vertiginis vino cõparat Deus; populum lagenæ, Proue. 21. Deus dicitur etiam ad malum flectere cor regis. Sic ad indurandũ Pharaonem duo concurrebant: vnum externum, alterum internum. Externum, ministerium Moïsi & Aaronis: quorum ille miracula edebat, hic orationem habuit. Internum, actio Dei interna, quâ cor Regis indurabat. Nã postquã Moïsi vim edendi miracula: & Aaroni virtutem loquendi commisisset: de se mox Deus subiicit. Ego autem indurabo cor Pharaonis.

Augustinus cap. 20. & 21, de gratia, ac libero arbitrio, multis scripturarum exẽplis ostendit: Deũ interna sua actione, omnes hominum voluntates & corda flectere: neque per patientiam & permissionem

missionem solam, sed per potentiam suam excœcare atq; indurare.

V. Quoscunque autem nunc excœcat Deus; illos ab æterno ad excœcationem prædestinavit: iuxta hæc rationem. Nihil in tempore agit Deus, quod non ab æterno & præcognouerit & decreuerit se facturum: Sed nunc quosdam excœcat, Ergo ab æterno ad excœcationem prædestinavit.

Illustro: I. Hinc si quis inferret: Deus excœcat homines: Ergo est auctor peccati: Is admitteret paralogismum à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, vel accidētis. Excœcatio & induratio trifariam considerari debent: quatenus peccata, quatenus pœnæ præcedentium peccatorum, & quatenus causæ insequentium. Ex his, excœcationem infligit, ut pœnâ præcedentium peccatorum. Ergo scriptura docet utrumq; & Deum excœcare quosdam: & eundem peccati nullius auctorem esse.

II. At de reprobis dicit Paulus: In quibus Deus huius seculi excœcavit mentes, 2. Cor. 4. 4. Itaq; occalluerunt mentes illorum, 2. Corin. 3. 14. Electi affecuti sunt, reliqui verò occalluerunt. Rom. 11. 7. Ergo excœcatio & induratio sunt omnium reproborum. R. Neganda consequentia, propter fallaciam à dicto secundum quid, vel homonymias. Hæc dicta in genere vera sunt de omnibus reprobis, quatenus excœcatio est incrementum derelictionis diuinæ: Nam reproborum nullus est, qui non aliquatenus ante finem vitæ excœcetur. Nos

verò hic loquimur de stupenda excœcatione, quæ *κατεξοχος* sic dictum volo.

III. In verbo indurandi apud Mosen est tropus: cuius sensus: Ego permittam indurari, aut occasionem indurandi dabo, dum nō statim corrigo, sed mea lenitate tolero: Ergo Deus non indurat. *℞.* Negamus antecedens. Ratio. Frustrā fingitur tropus, vbi in τῷ φητώ nulla inest absurditas. Atq; puniri contumaces nihil absurdi in Deo. Ergo simpliciter accipiendum hoc verbum: Est etiam aperta significatio verbi huius. Significat enim indurare, non ex molli durum, sed ex duro durius facere, interna quadam actione. Nam Paulus verbo indurandi opponit verbum miserendi, quod est, duritiem illam tollere. Est autem durities stupiditas omnium facultatum ad cognoscendum & amandum Deum. Hinc illa rabies arbitrij, quæ clamat: Ego non volo, & Deus est iniustus.

Instantia I. Pharaos semetipsum dicitur indurasse: Ergo non Deus: Sunt enim pugnantia.

*℞.* Neganda consequentia, propter fallaciam consequentis. Subalterna non pugnant: Nam vtrumque Spiritus Sanctus affirmat; sed diverso respectu. Pharaos seipsum indurabat, obfirmando animū suū vltro in sua malitia, contra minas diuinas. Deus vero interna atque externa actione confirmando duritiē: Foris enim verbū offerebat, intus voluntatem malam mouebat & puniebat.

Instantia II. At, absurdum est, Deum, qui bonus

nus

nus ac iustus est, indurare corda hominū. **ix.** Negamus Nam si absurditas esset causa negationis, eodem argumento omnes fidei articuli negarentur. Neque absurditas hæc peccat in vllum fidei articulum: immò confirmatur induratio, articulo primo. Denique iudicio rationis humanæ soli videtur absurdum: sed fides ac spiritus aliter iudicant, quibus, Deum bonum ac iustum credimus, etiamsi omnes induraret.

### THESIS XXII.

*Posita priuatione gratiæ, duplex necessitas reproborum sequitur: vna peccandi, altera pereundi. Nam destituti gratia Dei, & sue naturæ relictæ reprobi: sicut non possunt non peccare, ita non possunt non perire: ad quam utramque necessitatem prædestinati reprobi.*

Explico: Loquitur thesis de duplici necessitate reproborum: vna consequentiæ altera consequētis, quæ clara ab his dictis. Ioha. 15. 5. Sine me nihil potestis. Matt. 7. 18. Arbor mala nō potest ferre fructus bonos, Matth. 12. 34. Progenies viperarum, quomodo possitis bona loqui, cum sitis mali. Iohan. 12, Huc pertinet illa dicta, de immunditia reproborum ad Titum: & alia, quæ tradunt reprobos esse coagmentatos ad interitum, descriptos ad iudicium, creatos ad diem malum, & deniq; positos ad iram: de quibus supra.

### THESIS XXIII.

*In*

**I**N ipsis peccatis consideranda haec tria: actio ipsa, actionis deformitas, quae peccati formale est; atq; reatus, qui est obligatio ad poenas aeternas, orta quidem à peccato, sed à iustitia diuina, instituta.

Thesis haec manifesta à definitione peccati: quod est actio, deflectens à rectitudine, quam lex requirit, attrahens poenas tum aeternas, tum temporales peccatori: iuxta hoc dictum 1. Ioh, 3. ver. 4. *ἀμαρτία ἐνομίαι.*

#### THESIS XXIV.

**D**Eus sicut in nemine peccati auctor est, quatenus peccati forma spectator: ita neminem ad peccandum praedestinavit: sed duntaxat ad peccati permissionem, quae opus Dei.

Confirmo thesin. I. A dictis scripturae Ps. 5. vers. 5. Non es Deus volens iniquitatem. Ps. 45. 8. Odit Deus iniquitatem. II. A rationibus: Pugnet hoc cum bonitate Dei. Non enim summum bonum potest velle malum: Cum sapientia, est enim sapientis, velle id, quod est bonum: peccatum autem malum est: Cum potētia Dei. In quem enim finem vellet malum? Cum misericordia Dei; miseretur eorum, qui peccant. Denique cum iustitia; punit enim peccata Deus, ut iustus mundi iudex. Roman. 3. vers. 6. III. Peccatum non est effectum praedestinationis quia Deus nemini malitiam indit, quā peccatur. IV. Praedestinatio est operana



rum Dei: At peccatum non est opus Dei: sed permissio peccati voluntaria, opus Dei est, & sub prædestinationem cadit. V. Sic Patres intelligendi, cum affirmant, neminem ad malum fuisse prædestinatum: quatenus nimirum malitia peccandi à Deo non est.

### THESIS XXV.

**A**D peccatum tamen: quatenus vel actio est peccatum: vel ad gloriam Dei facit, reprobi sunt ab æterno prædestinati: ut facerent, quæ nunc re ipsa perpetrant.

I. Explico: Theseos mēbra duo: vnum, de substantia seu subiecto peccati: alterum de fine accidentali peccati, orto à bonitate & sapientia Dei,

II. Confirmo. I Deus auctor est omnis actionis: iuxta hoc dictum, Acto. 17 Per ipsum. Estque res bona suapte natura, omnis actio: iuxta hoc dictum, Prouerb. 21. Cor Regis. II. Quæcunque ad gloriam Dei quouis modo faciunt, ea à Deo ipso sunt præordinata. Sic peccatum: etsi illud fiat non natura peccati, sed bonitate Dei. Augustinus cap. 7. de correctione & gratia, docet, ludam fuisse electum ad opus damnabile: ut per illud, opus venerabile mortis Christi, & per hoc, redemptio mundi conficeretur.

### THESIS XXVI.

**S**unt autem pœnæ peccatorum duplexes, quædam mixtæ, quædam simplices: mixtæ, quæ

*quae simul peccata sunt, quales, excaecatio, obdu-  
ratio, & concupiscentia: simplices, quae duntaxat  
sunt supplicia peccatorum, quales sunt varia fla-  
gella Dei in hoc mundo, & horum extrema li-  
nea, mors aeterna.*

Explico: Theseos membra duo, quorum vnum  
de poenis meris, alterum de mixtis loquitur. De  
his, ad Romanos 1. v. 19. 2, Thess. 2; de illis, Rom. 2.  
v. 2. & 3. Rom. 6. 23.

### THESIS XXVII.

**A**D poenas peccati simplices praedestinati  
reprobi: nam vocati vasa irae coagmen-  
tata ad interitum, comparantur animalibus natis  
ad capturam: ad eas vero peccati poenas, quae si-  
mul sunt peccata, praedestinati reprobi, non qua-  
sensus peccata, sed quatenus poenae peccatorum  
praecedentium.

Confirmo: Tertullianus lib. 2. contra Marcio-  
nem, respondens ad illud Esaiæ: Creans malum:  
dicit duplum esse malum: vnum culpæ, alterum  
poenæ. Malum poenæ Deum velle, & ad illud, ipsos  
reprobos ab aeterno praedestinasse; docent hæc di-  
cta. Deuter. 28. sic Deuter 32. Ego occido & vi-  
uifico. Esai. 45. Creat tenebras & malum. Amos 5.  
An est malum in ciuitate, & Dominus non fecit  
illud? Addo rationem hanc: Omne bonum à Deo  
est: omnis poena bonum quoddam est, vtpote opus  
iustitiæ. Hanc ergo vult, & hanc praedestinat,

Quæstio

Quæstio Patrum: An Deus aliquem ad malum prædestinavit. Diluo à distinctione Tertulliani illa superiore. Malum duplex est, poenæ, & culpæ: Malum culpæ est peccatum: Malum poenæ est omnis peccati poena. Adhæc poenæ sūt duplices: simplices ac mixtæ. Ad malum poenæ prædestinati reprobi: ad malum verò culpæ prædestinatus nemo; quatenus culpa significat peccatum pugnans cū lege Dei. Itaque reprobi pereunt necessitate duplici: vna consequentiæ, respectu immutabilis reprobationis: altera consequentis, respectu naturæ vitiosæ, quâ sibi mortem consciscunt.

### THESIS XXVIII.

*Sicut autem sunt certa electionis testimonia; veras fides atq; vera fidei effecta: ita reprobationis certa documenta pertinax infidelitas, & eiusdem flagitiosa ad finem vsq; vitæ effecta.*

Confirmo: Clara thesis ab his dictis, Ioh. 8. 47. Qui ex Deo est: propterea vos nō auditis. Ioh. 10. v. 26. Sed vos non creditis: non enim estis ex ovis meis: 12. 57. Non credebāt: nec poterāt credere, vt sermo Prophetæ impleretur, Brachiū Domini cui reiectum est? Excoecauit oculos eorum, & obdurauit corda eorum. Actor. 28, 29. Alij non credebant. Ratio: vers, 26. 27. Pinguefactum. Roman. 11. 7. Cæteri occalluerunt: Rationem à reprobatione subijcit, v. 8. 9. 10.

Disimilis: Fides est verū & certū electionis te-

moniū. Ergo & infidelitas est certū reprobatio-  
nis argumentum. Ratio: Sūt enim hæc opposita.

¶ Negāda consequētia propter fallaciā ab ig-  
noratione Elenchi, in omīssa ratione dissimilitu-  
dinis. *Απιστία* duplex quatenus significat defectū  
fidei, est cōmunis omnibus & singulis hominibus  
ab ipso vitæ primordio, non autē simpliciter pro-  
pria reprobis. Nam nemo nascitur cū cognitione  
Christi, neq; caro & sanguis nobis Christum reue-  
lant, Mat. 16: quatenus verò significat cōtumaciā  
supervenientem naturali corruptioni, qua oculos  
ad veritatem claudimus, & hæc, initio vocationis,  
cōmunis tum electis tum reprobis, donec per gra-  
tiam Dei in electis sanetur. Vera igitur est cōclu-  
sio. Ego credo: Ergo sum electus. Falsa verò: Chri-  
stum ignoro, Euāgelio nō credo: neq; effecta fidei  
in me sentio: Ergo sum reprobis. Falsitas ab hoc  
simili patebit: Sol nō est ortus: Ergo non orietur.  
Itaq; nemo reprobis, nisi qui incredulus moritur:

### THESIS XXIX.

*D<sup>U</sup>e sunt autem finales causse reprobationis:  
gloria Dei, & salus electorum: propter quas,  
etiam plures Deus reprobavit, quā electi.*

I Explico: Duo theses sūt membra: vnum  
de finibus duobus: alterum, comparatio, de mul-  
titudine reprobatorum.

II. Confirmo: Finē reprobationis vltimum esse  
gloriā Dei prædestinantis, docē hæc dicta, Pro. 16.  
ver. 4. Omnia propter semetipsum creavit. Si crea-

uit, & prædestinavit. Nihil enim facit nunc Deus, quod non ab æterno fieri decrevit. Dictū hoc illustrat ab exemplo reprobationis. Etiā impiū ad diē malum; quē si ad mortem æternam creavit, & ab æterno destinavit. Rom. 9. 22. Quod si volēs ostēdere iram, & notam facere potentiam suā, &c. Facit autem reprobatio bifariam ad gloriam Dei; ratione pœnarum: quia illis & iram suā in reprobos illustrat, & diuitias gloriæ facit erga vasa gloriæ, illustriores.

Sub alternum finē reprobationis, esse salutē electorum, docet hoc dictum Pauli ad Rom. 9, 23. Ait enim ideo Deum reprobasse, vt notas faceret diuitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ. Malè ergo de nobis sentiunt, qui fingunt, nos reprobationis finem facere, exitium reproborum: quum tamen scriptura neget, Deum delectari hominum perditione. Sed hi falluntur paralogismo non causæ vt causæ. Neq; enim finales causa reprobationis, est ipsorum interitus.

II. Alterū mēbrum clarum ab his dictis, quæ docent plures esse reprobos quàm electos, Matth. 7, 13. 14. 20. 16. de via arcta & paucitate electorum. Idē manifestum ab hoc dicto Moysi, qui aplificat gratiā Dei erga populū suum, hoc argumēto à numero, sumto: quod alijs omnib9 gētib9 reiectis, quibus ipsi etiam Israëlitaē similes erant, hunc modicum sibi elegerit, Deu. 7. 7. Sic Christus demonstrat præstantiā gratiæ diuinæ erga Apostolus cōparatione quadam, qua dicit reliquis omnibus in

parabolis verba fieri, Matth. 13. 11. Idem ab hoc axioma te planius redditur: quò res sunt rariores, eò etiam sunt pretiosiores, & plures fiunt. Quod à contrarijs illustro: Dona, quæ promiscuè omnibus largitur Deus, fiunt hominibus viliora: utpote sunt, sol, pluuia, liberorum generatio.

III. Contra, si quis obijciat, Deū potuisse tā bene gloriā suā, & salutē nostrā promouere, reprobatione paucorū quàm multorū; ei per negationē respōdemus: Nihil enim sapiētius, nihil etiā fieri potuit melius, quàm quod à Deo factum est. Vltimū si quis instet, huic illud Pauli opponimus: O homo tu qui es, qui ex aduerso responsas Deo?

Postremò, si quis dicit, Deū delectari interitu reprobatorū si plures reprobarit quā elegerit: is admitteret fallaciam nō causæ ut causæ. Nō enim reprobationis finis est, interitus ipsorū: sic enim delectaretur exitio illorū: sed gloria reprobantis Dei.

### THESIS XXX.

*Conueniunt autem hæ duæ prædestinatiōis species in duobus: capite & fine. Caput uoco causam impulsiuam prædestinationis: voluntatē Dei absolutam & liberrimam. Finem nuncupo gloriam Dei quam in duobus spectandam proponit; misericordia & iustitia.*

Explico: Noto conuenientiā harū specierū sitā in duobus: quæ manifesta ab his dictis. Rom. 9. vers. 11. 22. 23. Pro. 16. 4. Eph. 5. 6. Rom. 8. 28.

THESIS

## THESIS XXXI.

**D**ifferunt autem hæc species, medijs ipsis, quibus Deus decreta sua, tum electionis, tum reprobationis ad gloriam non minus sui exequitur. Media electionis vocatio ad Christum efficax: fides vera, & fidei effecta. Media reprobationis: corruptio, derelictio in corruptiõe naturali, induratio, atq; effecta indurationis: à quibus tanquam causis proximis, vel vita, vel mors æterna.

Explico: Differentiam vtriusq; monstro, à medijs, quorū dispar in ipsorū decretorū executione, ratio. Nā Deus alias electionis realis causas medias, alias realis reprobatiōis ordinavit. Res clara.

## THESIS XXXII.

Sicut autem hæc doctrina maximoperè facit, tū ad fiduciam salutis certam cōsipiendam, cōtra desperationem: tū ad serium Dei timorem in nobis excitandū, aduersus confidentiã viriū nostrarū: ita duo doctorū genera sūt, qui in ipsam irreligiousè peccāt. vni, qui curiositate profana, in ipsa adyta consiliorum diuinorum percurrere conātur: alteri, qui omnem huius doctrinæ mentionē, tum ex Scholis, tum ex Ecclesijs, sublata vellent.

Explico: Damno abusum doctrinæ huius: qui in duobus extremis cernitur. Vnum, audacia blasphemia curiosorū in scrutādis mysterijs diuinorū

consiliorum, quā Apostolus coercet hoc dicto: O profundas diuitias! Rom. 11. Alterum, stupor ingratorū hominū, qui hanc doctrinā odio quodam ex Ecclesiā Christi explodunt: quā tamē & Prophetæ & Apostoli, & Christus ipse, vbiuis locorū ad Ecclesiā inculcant. Vtrosque grauiter perstringit Ecclesiastes 7. 16. Ne esto nimium iustus, neq̄, sapere tibi videtur amplius: Neq̄, improbus sis nimium, neque sis stolidus. Locus de temperandis iudicijs nostris, in æstimandis operibus Dei: ne vel nimium sumus acuminosi, vel flagitiosè socordiores. Exaggero abusum seu profanatiōem, ab vsu præcipuo: de quo, Thesi prima.

### THESIS XXXIII.

**P**ostremò, in hac doctrina explicanda, nō est audienda carnis humane prudentia, quæ inimicitia aduersus Deū: sed solus Spiritus S. sic futurum, ut hos duos periculosos scopulos facile euitemus: vnū, ne Deum peccati auctorem faciamus: alterum, ne ipso, vel nolente vel inuito, quidquam in hoc mundo fieri statuamus.

Explico: Concludo theses necessaria cautione. Cautio de sobrietate. Vt memores modestiæ, omnem insolentiam humane prudentiæ in tractatione doctrinæ huius deponamus. Cautiōem commendo à periculo naufragij:

Sic Paulus ad Romanos, duos fontes monstrat omnium errorum in hanc doctrinā. Superbiā humani

mani



mani iudicij, quæ iustitiam Dei incomprehensibilem suis argutijs subiicere auder, Roma, 9. 20: & prudentiæ humanæ fatuitatem: quã suggillat hoc epiphonemate: O profundas diuitias tum sapientiæ, tum cognitionis Dei! quam inscrutabilia sunt eius iudicia, & eius viæ imperuestigabiles! Sensus: Iudicia Dei iusta quia sapientissima. En finem disputationis nostræ: cuius summa Salus est solius gratiæ prædestinantis. Ergo opera Pontificiorum meritoria illa infinita, fraus mere.


**M**acte nunc & animis, & studijs? vos Pastores, fratres: vosq; Theologia studiosi, ecclesiarum flos. Nã si sensero, hanc meã lucubrationẽ, neq; Ecclesiis ingrata, neq; vobis inutilẽ fuisse me, in Castellionem versutum exacutis hominẽ, διὰ τῆς χρησολογίας ἐν ὑποκριτοῖς, ψευδολογον: qui non solum, blasphemũ illum Pelagiũ, olim in synodis, milies damnatum, huic auro nouissimo prolapsõ & hebescenti, merè interpolauit: verũ etiã nunc in discipulis suis plurimis, immaniter exultat, atq; acies Dei viuentis blasphemat. Quem tamen facile pedibus trahetis, si hanc doctrinam, religionis nostræ axioma, accuratiũs imbiberitis. Valet.

S E R V E S T Æ

Excudebat Bonaventura Faber, Sumpti-  
bus Jacobi Zanachij Ciuis & Bibliopolæ  
in Veterum Soraborum Me-  
tropoli Seruestæ.



DE QVAE-  
STIONE ILLA,  
AN HOC TEMPORE GLIS-  
centis vel potius grassantis tyran-  
nidis Pontificiæ Syncretismus &  
& coitio fieri inter Ecclesias Euan-  
gelicas de Cœna Domini dissiden-  
tes aduersus communem hos-  
stem debeat disser-  
tatio,

 *Vari à multis solet hoc tempore gliscentis vel potius grassantis tyrannidis Pontificiæ, an Syncretismus & concordia fieri in Ecclesiis reformatis præsertim in Germania de Cœna Domini inter se dissidentibus, aduersus communem hostem debeat. Ac multi sunt viri sapientes & p̄y passim in Germania, qui fieri debere affirmant. Sed rursus sunt, præsertim Theologi, qui negant. Nos de utriusq; partis argumentis breuiter dicemus.*

*Qui affirmant, mouentur periculorum & malorum*

K

malorum, quæ Reip. & Ecclesiæ imminent & ex parte iam incumbunt, magnitudine & gravitate. Vident enim & indies magis experiuntur, quæ consilia iam dudum agitet, & quid moliatur Antichristus Romanus: Ut conspirationes faciat, ut sub iugum suum cogere, & ad Romanam Ecclesiam reducere Principes Germaniæ, & Ecclesias, quæ discessionem fecerunt, atq; adeo ut in executionem deducere decreta consilij Tridentini, & Papatum in integrum restituere laboret. Vident audaciam & impudentiam Jesuitarum non solum crassissimos errores suos aperte tuentium, sed etiam Ecclesiarum reformatarum Doctores virulentissime calumniantium: Nec tantum calumniantium, sed eis adhuc insultantium Catechismo Luberi ad suas superstitiones detorto, & Ecclesiis Ulmensium, Noribergensium, Ratisponensium inscripto, & titulo atq; omnibus alijs, quæ primum occurrunt ad decipiendum imperitos aut saltem ludificandum comparatis: Nec tantum sic insultantium, sed etiam magistratum poliiticum ad vim inferendam inflammantium. Vident ut ferociat, spiret, minetur, grassetur externus ac superbus miles. Vident quantum malorum ad ad uniuersam Germaniam redundaturum

daturum, & quàm miserâ conditio Germaniæ  
 & quàm dura seruitus, tum corporum, tum a-  
 nimorum futura sit, si sedem figant hostes ubi  
 volunt, & si res secundam voluntatem ipsorum  
 fluant. Vident eos ad hæc omnia sic animari no-  
 stra discordia & distractione. Vident eos hoc  
 agere, ut singulos circumueniant, quos coniun-  
 ctos opprimere non possunt. Vident commune  
 periculum Ecclesiis reformatis imminere, ac  
 commune exitium parari. Vident utranque  
 partem in Ecclesiis reformatis æquè ipsis cha-  
 ram esse & eodem loco haberi, ac futurum, ut  
 si unam in ientaculo absorpsissent, alteram in  
 prandio aut ciliis absumerent.

Deinde vident nos disiunctos facilius sup-  
 pressum iri, quam coniunctos. Nam disiun-  
 ctæ vires faciliè dissipantur. Vident quos peris-  
 culi societas iungit, eos animis & viribus etiam  
 coniunctos esse oportere. Vident Germanis sè  
 unquam, nunc certè opus animorum coniuncti-  
 one & mutuo auxilio.

Tertio sciunt à Luthero & genuinis eius disci-  
 pulis Calvinianos, quos vocant, dissentire tantum  
 de Cœna Domini, nec tamè de tota illa doctrina,

K 2

Sed

sed de parte tantum, atq; ea non necessaria ad salutem, quippe ex ipsius Lutheri sententia pijs & impijs communi, videlicet de corporali presentia, & orali manducatione corporis Christi. Sciunt multa Calvinianis affingi à Philippo, Nicolao, & huius similibus, quæ nunquam ipsius in mentem venerunt, & à quibus omnino abhorrent. Sciunt olim Basilium & Eusebium inter se dissidentes, cum Valentem Imperatorem Arianum dissidio suo ad Ecclesias orthodoxas opprimendas abusurum, animaduertentes mox conuenisse, & facta coalitione, consilia Imperatoris impediuisse. Sciunt, superioribus annis Principes & ordines potestantes cum quatuor ciuitatibus & Heluetijs, quamuis diuersum de cæna Domini sentientibus coalitionem aduersus communem hostem fecisse. Sciunt deniq; contra Turcam ut communem hostem à Christianis omnibus coalitionem fieri solere. Atq; his illi præcipuè mouentur, ut syncretismum hoc tempore fieri debere existiment. Neq; tamen cum ita sentiunt, loquuntur, aut scribunt, vel Deo, qui omnia potest, vel causæ suæ diffidunt, parati quouis tempore in legitimo conuentu doctrinæ suæ rationem reddere, sed officium in mouendo, ut par est, faciunt, & si nihil impetrent, illud tamen restatum faciunt, per se

non

non stetit, quo minus communis causa coniun-  
ctis studijs & viribus ageretur.

Qui verò Syncretismum faciendum esse ne-  
gant ( negant autem præcipuè Theologi Tubin-  
genses in præfatione libro M. Osiandri à De-  
cano collegij Tubingensis præfixa, & ante se-  
mestre edita ) ij argumenta habent, nec pauca  
nec ut ipsis videtur, leuia: ad quæ nos breuiter  
respondebimus, ut quanta vis insit, & an ea ad  
impediendum Syncretismum & alendam distra-  
ctionem satis momenti habeant, intelligatur.

Primum dicunt humanis viribus non pro-  
pagari veritatem doctrinæ cælestis, nec extir-  
pari ex hominum cordibus errores, sed hoc so-  
lius Spiritus sancti opus esse. Id verò cum eis  
sani omnes facile agnoscunt & fatentur: Negat  
illud iam in questione versatur, sed hoc potius,  
an Principes & Magistratus reformatarum  
Ecclesiarum possint & debeant vim in iustam &  
Tyrannidem Antichristi coniunctis viribus  
propellere, & veritatem prohibere, ut olim  
à Constantino Magno aduersus Licinium, &  
superioribus annis à Saxone, Landgrauio ac  
confederatis factum esse constat.

Secundò dicunt, errores Zwinglianorum & Calvinistarum quos vocant, Pontificia IdololatRIA longè horribiliores esse: Verum ut hoc leuiter ab ipsis dicitur vel ignorantibus, vel scire nolentibus corruptelas Pontificias: ita facile à nobis refutari, & à sanis omnibus, & sine affectu iudicantibus intelligi potest. Primum enim nobis cum Luthero & genuinis discipulis controversa hic nulla intercedit, nisi de Cæna Domini, & tamen non de tota doctrina, sed de parte tantum, eaq; ut ipsimet fauentur pijs & impijs communi, ac proinde ad salutem minimè necessaria, videlicet de præsentia corporali corporis Christi in pane Cænae Dominicæ & de manducatione orali: De cæteris omnibus ad salutem necessarijs, ut de spiritali manducatione de iustificatione hominis peccatoris coram DEO, de inuocatione DEI, itemque de libero arbitrio, de Prædestinatione &c. inter nos & ipsos conuenit. Quod doceri potest. I. Ex Recessu colloquij Marpurgensis. II. Ex Augustana confessione. III. Ex articulis Smalcaldicis. IV. Ex formula confessionis Buceri V. Ex silentio Lutheri post illud tempus cum nostris non nisi de Cæna Domini, & quidem adhuc de corporali præsentia in pane & orali manducatione duntaxat dimicantis. Etsi enim initio præ-



præsertim anno 27. & 28. ex doctrina de persona Christi Ubi quitatem corporis extruxerat, & ad probandam præsentiam corporis Christi in pane adhibuerat Lutherus: tamen postea misissam fecit, verbis institutionis Cœnæ ad probandam sententiam suam contentus. Deinde cum Ubiquitarijs etsi non solum de Cœna Domini, sed etiam de Persona Christi & Prædestinatione & Baptismo nobis controversia intercedit: tamen de reliquis ferè cum eis consentimus. Quid autem Pontificij? Consentuntne cum ipsis de Cœna aut de Persona Christi aut de Baptismo? Consentuntne de libero arbitrio, de iustificatione, inuocatione sanctorum, indulgentijs, & alijs multis, de quibus in Ecclesijs reformatis inter omnes conuenit?

Tertiò dicunt Zwinglianos & Calvinistas abutentes doctrina & professione Euangelij plus damni dare quàm Pontificios. Itaq; aduersus illos non minus, quàm contra hos pugnandum esse. 1. Exemplo Pauli non minore zelo contra Pseudoapostolos ut intestinos, quàm contra Iudeos & Græcos ut apertos hostes in Epistolis suis dimicantis, quod ab illis Christi nomine abutentibus & sub eius tegumento errores suos spargentibus plus periculi quàm ab his metuendū esse

eenseret. *II.* Exemplo Lutheri optantis Zwing-  
 lium mansisse Papistam, quod post defectionem  
 à Papistis plus damni daret quam dare potuis-  
 set, si cum eis mansisset. *R. I.* Ita scribitur ab his  
 hominibus, ut ad excindendas Ecclesias nostras  
 cum Antichristo veluti conspirare, & nostra  
 persecutione, exilio & supplicijs delectari vide-  
 antur. *II.* Pontificios quidem ipsorum Ecclesiis  
 iam aliquamdiu non multum damni dedisse, ad-  
 huc consultantes & occasionem expectantes:  
 nunc autem commoditatem nactos vigilare in  
 perniciem ipsorum non minus, quam nostram,  
 & non solum iam multum damni dedisse, ut  
 testantur Augusta, Franconia, Mompelgar-  
 dum, sed etiam nisi Deus auerterit multum damni  
 duros esse. *III.* Neque Decanum Collegij The-  
 ologici Tubingensis Apostolum esse, id est,  
 Doctorem immediate à Christo vocatum, qui  
 de doctrina nostra iudicandi potestatem habeat.  
 ita ut eam probare vel damnare possit, nec er-  
 ret de doctrina nostra iudicans: Neque nos cum  
 Pseudoapostolis illis, quos oppugnat Apostolus  
 quicquam commune habere; sed eorum similes  
 esse Pontificios operum meritum & iusticiam si-  
 militer asserentes & gratiam Christi extenuan-  
 tes. *IV.* Lutherum iratum illo tempore ex affe-  
 ctu

Et sic optasse de Zwinglio, à quo doctrinam suam de Consubstantiatione oppugnari æ grè ferebat, atq; adeo hanc vocem ipsius reticendam potius, quàm hoc loco præferendam fuisse. Sed enim ut Zwinglius de ea parte Cæne, quæ communis est pijs & impijs, non rectè senserit: tamen quantum boni Ecclesiæ attulit, quòd maximam partem Helvetiæ ab Idololatria Pontificia ad verum Dei cultum traduxit; Et ut non solum de ea parte Cæne, sed etiam de quibusdam alijs minus commodè interdum locutus sit: tamen ut alij Doctores in nostris Ecclesijs hodie sentiant & loquantur, considerandum est.

Quartò obijciunt: Nostros humanitate sibi præstita & compositione facta turpiter abusus fraternitatem iactasse, & hoc nomine errores suos latius sparsisse. R. Nos hoc tempore neque laborare de fraternitate: etsi eam constitui posse optamus, neq; ficto nomine fraternitatis ad doctrinam nostram, quam scripturæ consentaneam esse scimus latius spargendam abuti unquam voluisse aut ad hoc velle, sed scripturæ atq; orthodoxorum Patrum testimonijs eam hætenus defendisse, atq; etiamnum defendere: Syncretismus autem saluo utriusq; patris iure  
ut fiat

ut fiat aduersus communem hostem nunc in nostram communem perniciem vigilantem, & magis quam antea ferocientem, optare.

Quintò dicunt Zwinglianos & Calvinistas subinde novos eosq; terros, & Ecclesie Dei intolerabiles errores secundum Lutheri prophetiam, imprimis verò de Persona Christi gignere & in Ecclesiam introducere, & non solum in Testamentum & Personam Christi manifestè blasphemios esse: sed uniuersam propemodum doctrinam Christi non modo labefactare, sed planè euertere, quippe non solum Testamentum Christi turpissime profanantes, sed etiam virtutem Baptismi, promissionum Euangelij consolationem, & pretiosi sanguinis Christi meritum euacuantes. Tantum igitur abesse, ut cum eis fraterna concordia sanciri possit, ut potius cum Paulo sit optandum, ut excindantur. R. 1. Non nos introducere in Ecclesiam novos errores, aut renouare veteres, sed nouis vel renouatis erroribus, qui ab Ubiquitarijs inuehantur, contradicere: Nec vel Lutherum prophetam fuisse, qui de futuris prædiceret, vel prædictioni in hac re euentum respondisse. II. Non laborare nos, hoc quidem tempore de fraterna

concordia

concordia, præsertim cum illis, qui ex his dissidijs nonnisi & opes quærunt, & qui utiliore sibi discordiam quàm concordiam putant, inuenda: etsi eam fieri posse optamus: Sed de Syncretismo & coitione ad communem hostem propellendum, & ad tuendam animorum & corporum libertatem faciendo monere. III. Ut detur, quod tamen dari non potest, tot ac tantis erroribus Ecclesias nostras laborare: cur sic ad excindendas eas, quæ non sunt legitime auditæ, nedum conuictæ cum Antichristo quasi conspiratur? cur non exercentur legitima iudicia in Ecclesia? cur damnationes publicæ & solennes ante cognitionem causæ publicam & solennem fiunt?

Sexto instant ac speciatim errores in quibus nos versari putant, veteres & novos recensent, præsertim ex colloquio Mompelgardensi, non bono consilio ut nunc apparet, ab ipsis instituto. Primum dicunt nos in cæna Domini signa pro veritate & rebus signatis, quisquiliis pro nucleo Ecclesiæ Dei obtrudere. R. Non obtrudimus signa pro signatis, sed signa à signatis distinguimus, simul eos, qui hæc cum illis confundunt, reprehendentes: Et tamen distinguimus, ut in legitimo usu non separata, sed coniuncta esse,

esse,

esse, & simul percipi, etsi diuerso modo & instrumentis, sentiamus.

Secundò dicunt nos virtutem Baptismi euacuare, docentes Baptismum nequaquã lauacrum regenerationis, sed eius duntaxat signum esse: Item non posse ex Baptismo fidem de electione nostra in Christo facta in perturbatis conscientijs confirmari. R. i. Non docemus, Baptismum nequaquam esse lauacrum &c. sed vtrunq; fatemur, nempe Baptismum esse lauacrum regenerationis, quod à Paulo similiter dicitur, Et, Baptismum esse signum lauacri regenerationis seu internæ abtutionis: quorum alterum sacramentaliter ac figuratè, alterum propriè dicitur. ii. Omnino fatemur Baptismo, tanquam signo fœderis & sigillo iustitiæ fidei & remissionis peccatorum in legitimo vsu fidem de Remissione peccatorum atq; adeo de electione confirmari.

Tertiò dicunt à nobis doceri infantes careere fide: nihilominus tamen in fide parentum fidelium & Ecclesiæ baptizandos esse. Item in Baptismo etiam electos infantes neq; regenerari, neq; renouari, sed id demum fieri, quando adole-

adoleuerint, ut fidem doceri & profiteri possint.

R. 1. Cum quidam ex nostris dicunt infantes carere fide, fidem actualem, qualis in adultis ex audiuu uerbi existit, intelligunt: interim motum aliquem Spiritus sancti pro ipsorum modo in eis, eosq; non placere Deo nec saluos fieri sine aliquo motu Spiritus sancti in eis operantis, affirmamus: quem motum alij fidem, alij semen fidei alij inclinationem ad fidem, alij primitias Spiritus sancti uocant. Neq; sic docentes noui aliquid offerimus. Nam & Lutherus de captiuitate Babylonica concedit infantes non habere fidem Baptismi, ideoq; fide aliena eorum qui offerunt eis succurri: etsi in Postilla Ecclesiastica Dominica 3. post Epiphaniae diuersum scribit: Et in Formula Concordiae Wittenbergensis ita habetur: Constat infantibus per Baptismum contingere remissionem peccati originalis & donationem Spiritus sancti, qui in eis efficax est, pro ipsorum modo. Item etsi nos non intelligimus qualis sit illa actio Dei in infantibus: tamen certum est in eis nouos ac sanctos motus effici, sicut & in Ioanne in utero matris noui motus fiebant. Nam etiamsi non est imaginandum, quod infantes intelligant: tamen ille motus & inclinatio-

*inclinaciones ad credendum Christo & diligendum Deum sunt aliquo modo similes motui fidei & dilectionis. Hoc dicimus cum infantes dicimus fidem habere. Idco enim sic loquimur, ut intelligi possit, quod infantes non fiant sancti & salui sine actione diuina in ipsis. Hactenus concordia Witteb. II. Cum quidam ex nostris dicunt, in Baptismo etiam electos infantes non regenerari aut renouari, hoc velle videntur, operationem Spiritus sancti, neq; ad externam ceremoniam ita alligatam esse, ut sine discrimine omnes qui baptizantur, eo ipso quod baptizantur, regenerentur: neq; ita ab ea separatam, ut non possit in Baptismo etiam fieri, sed Spiritum spirare ubi vult, ut in adultis, ita in infantibus, & vel in Baptismo, vel ante Baptismum, vel post Baptismum, sicut visum est, operari. Ac proinde esse, qui neq; in Baptismo, neq; post Baptismum regenerentur, de quibus soli Deo constat. Atq; sic de regeneratione infantum expresse scribit Calvinus Inst. lib. 4. cap. 16. Sect. 7. 18. 19. 20. 21. Et Ursinus in volumine tractat. Theolog. pag. 600. 608. 609. 610. 617. 618. & alij. Sic autem sentientes eum Aug. confessione, Formula concordie Witteb, & Lutbero consentimus. Nam in Aug. confessi-*

confessi-



confessione ita habetur arti. 5. Per verbum &  
 Sacramenta tanquam per instrumenta donatur  
 Spiritus sanctus, qui fidem efficit, ubi & quan-  
 do visum est Deo, &c. In Formula concordiae  
 Witeb. haec verba leguntur: Consentium Lu-  
 therus & sui, seruari posse virtute Christi etiam  
 qui non baptizantur, &c. Denique Lutherus in  
 maiore Catechismo de Baptismo: si verbum in-  
 quit, coniungitur cum aqua, verus est Baptis-  
 mus, etsi non accedat fides, quia fides non facit  
 sed accipit Baptismum, Item, si hodie Iudaeus  
 malo proposito ad Baptismum veniat, & a no-  
 bis serio ac legitime baptizetur, nihilominus di-  
 cendum est, verum esse Baptismum: Quia ibi  
 coniuncta sunt aqua & verbum Dei, et si ipse  
 haec non recte percipit: Quemadmodum qui in-  
 dignè accedunt ad Sacramentum Cænae, ve-  
 rum Sacramentum percipiunt, etsi non credant,  
 Item propterea dico, si non credidisti, videlicet  
 cum baptizareris, adhuc crede, & dic: Baptis-  
 mum quidem verum ac legitimum fuisse, te au-  
 tem non recte eo usum esse. Item Baptismus sem-  
 per verus est, etiamsi vnus homo tantum bapti-  
 zetur, neque recte credat. Item si adest fides non  
 est inane signum: sin autem abest fides, nudum  
 & inane signum remanet. Haec Lutherus:

A qui

A quibus profecto dissentit Jacobus Andreae in Colloquio Mompelg. affirmans latentem virtutem sacramentis annexam affixamque esse: Spiritum sanctum & ipsius in nobis effecta Sacramenta alligata esse: regenerationem seu salutem à Baptismo pendere, ita ut à Spiritu sancto verè regenerentur, quotquot baptizantur.

Quartò dicunt, nos promissionum Euangelij consolationem euacuare, docentes, osculio, iustissimo tamen iudicio Dei quosdam ad æternam damnationem à Deo ordinatos & creatos esse. Item Deum reprobos nunquam dilexisse, neque velle, ut hi pœnitentiam agant, conuertantur & saluentur. R. 1. Cum docemus, quosdam ad æternam damnationem à Deo ordinatos esse, cum Scriptura, Prouerb. 16. v. 4. Rom. 9. v. 23. &c. Et cum Augustino ac Luthe- ro loquimur & sentimus, ut facile ostendi posset. Ergo & hos damnari necesse est, si nos damnatos volumus.

Cum addunt quidam ex nostris quosdam ad damnationem etiam creatos esse, etsi id improprie dicitur, quia finis creationis proprie non est damnatio aut mors hominum, sed illustratio gloriæ Dei: tamen cum idem scribat Lutherus  
de ser.

de seruo arbitrio affirmans hominem ad vitam  
 vel ad mortem creatum esse: cur non hunc etiam  
 damnant? II. Cum docent nostri, Deum repro-  
 bos nunquam dilexisse, non simpliciter & gene-  
 ratim loquuntur de dilectione, quia omnes ho-  
 mines, ut creaturas suas, sed specialim de dile-  
 ctione, qua electos seu fideles peculiariter prose-  
 quitur. III. Non docent nostri simpliciter De-  
 um nolle, ut reprobi pœnitentiam agant, Euan-  
 gelio credant, ad Deum conuertantur & saluen-  
 tur: Item nolle, ut eis precium sanguinis filij  
 sui profit, ut iterum Decanus calumniatur, sed  
 fatentur, Deum voluntate antecedente omnes  
 ad se vocare, omnibus offerre gratiam, & ut  
 omnes eam amplectantur velle & iubere, & ab  
 omnibus serio requirere pœnitentiam: nisi non  
 operetur in omnibus, quod ab omnibus iure ex-  
 igit, cum ad efficiendum non sit obligatus. At  
 voluntate consequente velle ut fideles, non au-  
 tem infideles saluentur, & infideles, non autem  
 fideles damnentur & pereant. Qua in re neq; à  
 Scriptura, neq; ab Augustino, neq; à Lube-  
 ro dissentiunt, ut facile demonstrari posset.

Quintò dicunt à nobis doceri Christum non  
 pro peccatis totius mundi, sed duntaxat pro ele-

L

ctorum

Etorum peccatis mortuum esse, Item promissio-  
 nes Euangelij omnes particuiare, nequaquam  
 verò uniuersales esse, quippe quæ solum ad ele-  
 ctos pertineant. Item Christum non serio om-  
 nes ad se vocare peccatores, sed electos tantum,  
 at reliqui ut veniant, nolle. R. 1. Cum docent  
 nostri Christum non pro totius mundi, sed dun-  
 taxat pro electorum peccatis mortuum esse, lo-  
 quuntur de efficacia, applicatione & fructu  
 mortis Christi, non de merito quod pro peccatis  
 totius mundi sufficiens esse fatentur, seu de suffi-  
 cientia meriti. 1. Non docent simpliciter pro-  
 missiones Euangelij, id est, gratiæ remissionis  
 peccatorum, vitæ & salutis æternæ particula-  
 res esse, sed particulares esse, quatenus non  
 ad omnes homines fideles simul & infideles, sed  
 ad fideles seu credentes tantum, ac rursus tamen  
 uniuersales esse, quatenus ad omnes omnino cre-  
 dentes pertinent: Quod Scriptura itidem docet.  
 Mar. 16. v. 16. Qui crediderit saluus erit, &c.  
 Item Iohan. 3. v. 16. Omnis qui credit, &c.  
 III. Non docemus Christum non serio omnes  
 peccatores ad se vocare, &c. sed docemus: De-  
 um serio ab omnibus requirere conformitatem  
 cum lege sua, atq; adeo fidem & obedientiam,  
 & sic verbo suo serio omnes vocare, sed solos e-  
 lectos

lectos fide & penitentia donare, atq; adeo efficaciter vocare, id est, quod ab omnibus exigit, in solis electis efficere.

Sextò dicunt, à nobis doceri, homini Christo non posse, sine horribili blasphemia, vel nomen, duntaxat omnipotentiae tribui. Item humanam Christi naturam omnipotentiae Dei neq; capacem, neq; participem esse. R. Omnino docemus, Christum hominem, & re & nomine ut Deum, & Filium Dei, ita omnipotentem esse: at humanam naturam, ut Deum & Filium Dei, ita omnipotentem proprie esse & dici posse negamus. 13. Non simpliciter humanam naturam omnipotentiae Dei capacem & participem esse negamus, sed per realem illam, id est, physicam communicationem, quae est confusio idiomatum, non autem per unionem personalem.

Septimò dicunt à nobis doceri, Quisquis in Christo homine confidat, & ad carnem ipsius adorationem religiosam & invocationem suam dirigat, eum ex ore Dei maledictum & damnatum esse. R. Danæus ita loquens hoc sentit, ut satis se explicavit: Quisquis in Christo homine,

videlicet diuino per realem illam, id est, physicam idiomatum communionem, non autem Deo existente confidat, & ad carnem ipsius sic per realem communicationem deificati, id est, diuini effecti, inuocationem suam dirigat, eum maledictum esse, qui in homine qui tantum creatura sit, etsi diuinissimus esse statuatur, confidat. Quis si aliter sentiret, iampridem à nobis ipsis damnatus esset. Nos enim docemus in Christo homine confidendum, in eum credendum, eum inuocandum esse, non quia homo diuinus, sed quia Θεωσώματι est per unionem personalem. Deinde concedimus & carnem Christi adorandam esse eo sensu, quo Patres orthodoxi dicunt: Tertio non docemus ad solam diuinitatem Christi dirigendam esse adorationem & inuocationem, sed ad personam Christi. Illud autem docemus, causam inuocationis esse propriè Deitatem, id est, Christum hominem inuocari, quia idem est verus Deus: qui si homo tantum esset, quantumuis diuinus esse statueretur, tamen adorari neque posset, neque deberet.

Octauò dicunt à nobis doceri, carnem Christi duntaxat ratione meriti viuificantem, sed viuificæ virtutis tam non capacem & participem esse,

esse, quàm non est capax omnipotentiae Dei. R. Non docemus carnem Christi duntaxat ratione meriti viuificam esse, sed docemus eam viuificam esse & ratione meriti, & ut Cyrillus interpretatur ratione viuificae virtutis, cuius eam non minus, quàm omnipotentiae capacem & participem esse per unionem personalem affirmamus, per realem illam & physicam communicationem negamus.

Hæc igitur isti sic allegant, sed iudicio & affectu deprauato allegant, ut ostendimus. Quibus nos quæ hoc loco & quàm portentosa & indigna Theologis vicissim obijcere possemus? Sed præstat nunc propositam questionem concludere. Cum ergo multa sint, quæ nos ad communem hostem coniunctis viribus repellendum merito moueant, nec illa, quæ nonnulli hic contra afferunt, obstant; intelligitur, syncretismum & coalitionem saluo tamen cuiusq; iure, hoc tempore fieri posse & debere.

Quapropter si religionis, si Reip. si libertatis amor, si Antichristi, si Idololatriæ, si seruitutis odium, si deniq; priscae virtutis vestigium in nobis superest viri Germani coniungite ania-

mos

mos & vires prohibete Ecclesiarum & Reip. va-  
 stitatem, & seruitutis grauissimæ iugum propel-  
 lite. Quod si exteris Ecclesiis sub cruce iam  
 diu gementibus, quibus superbi & morosi quidam  
 Theologici acetum cum felle mixtum propinant,  
 opitulari non est integrum: vestrum periculum  
 considerate: vestris Ecclesiis succurrite, à vobis  
 seruitutem depellite. Ferendumne vobis, ut in  
 communi patria sic grassetur externus miles? Fe-  
 rendumne, ut tot pagi, tot Ciuitates, tot Eccle-  
 siæ miserè pereant? Ferendumne ut tot latroci-  
 dia, tot stupra, tot cædes fiant? Ferendumne  
 ut occupatis Imperij & alijs urbibus & quasi  
 ponte strato via externo & superbo militi pro  
 arbitrio ad vos pateat? Sed spes est vos tandem  
 & propria virtute excitatos, & periculorum ac  
 malorum imminentium magnitudine impulsos,  
 coniunctis consilijs & studijs officium facturos,  
 & afflictæ Ecclesiæ ac Reipubl. opem laturos es-  
 se. Quo si feceritis, non solum pœnas desertio-  
 nis effugietis, sed etiam benedictionem à Deo  
 & laudem ab hominibus sempiternam consequi-  
 mini. Exiit Deus Pater Domini nostri Iesus  
 Christi autor & conciliator pacis & concordie,  
 ut depositis simultatibus & odijs, animi verè  
 coales



coalescant, & ut repressa tyrannide Pontificia, lux doctrinae Caelestis in his regionibus accensa conseruetur, & ad posteros propagetur.

F I N I S.



DE COENH DOM

... in ...  
... in ...  
... in ...

P. 171







Fd 4021


ULB Halle

3

004 959 558



VP17  
m.c.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

an 4  
auta=  
Electi-  
Dia-  
ersam  
rat.  
n, D.  
olo-  
ionis,  
dictum  
ame  
ber